

## 3.

# Beiträge zum Briefwechsel der katholischen Gelehrten Deutschlands im Reformationszeitalter.

Aus italienischen Archiven und Bibliotheken

mitgeteilt von

**Walter Friedensburg.**

(Fortsetzung <sup>1</sup>).

---

**61. Cochlaeus an Bischof Giberti von Verona:** Freundschaft Gibertis mit Pole. Vierte Vermählung Heinrichs VIII. Der Kaiser in Paris. Suchen nach einem neuen Drucker. Streitschriften gegen Melanchthon und die Ordinierungen der Protestant. Einrichtung lutherischer Schulen; Veröden der katholischen Anstalten. Die Herzöge von Münsterberg und der Abt von Heinrichau; Selbstmord des Priors. Polen. Luther-tum in Brandenburg. Witzel. Empfehlungen. 1540 Januar 31 Breslau.

Aus Arch. Vat. Arm. 62 vol. 37 fol. 154 u. 157, eigenh. Orig., ohne Adresse; in verso von der Hand Contarinis: Del Cocco a monsignor di Verona. — Ein Stück gedruckt Raynaldi Ann. eccles. 1539 § 21 aus derselben Vorlage.

S. R<sup>me</sup> domine patrone fidelissime ac perpetuo memorande. hesterno vespere rursus e Nurenberga tuas recepi litteras, easdem per omnia cum iis quas 4 januarii receperam<sup>2</sup>. ante omnia laetor et laudo venerorque solidam ex virtute amicitiam quae inter R<sup>mum</sup> ac nobilissimum dominum cardinalem Polum et R<sup>mam</sup> D. T. tot jam annis mutuis freta obsequiis, amore ac praesentiae mutuae desyderio indies magis ac magis augetur et accrescit. congratulor itaque ex animo utrique vestrum Deumque precor ut hoc summum in terris bonum permaneat vobis inviolatum centum, si

1) Vgl. Bd. XVI, S. 470ff. und Bd. XVIII, S. 106 ff. dieser Zeitschrift.

2) Es folgen 15 Zeilen, welche unleserlich gemacht sind.

fieri queat, lustris, immo saeculis et ultra! et mihi non vulgariter gaudeo, quod tua commendatione summo illi viro factus sum utcumque notus, ut adhuc unus saltem Anglorum supersit qui bene velit mihi. rex autem Angliae quartam jam duxit uxorem (ut fama est), sororem ducis Juliacensis et Clevensis, quam nuper a Calesio triumphaliter transfretasse ferunt. Caesarem vero nostrum ajunt kalendis januarii honorificentissime susceptum fuisse Parisiis. non dubito autem ea quae e Gallis referuntur, omnia tibi quam mihi notiora magisque certa esse. malo igitur de iis scribere quae apud nos Germanos aguntur.

Scripti sane hisce diebus bene longam narrationem de longe dissimilimis inter se fratribus Saxoniae ducibus, Georgio et Henrico, quam R<sup>mae</sup> D. T. non ingratam fore spero, ex eo saltem quod Georgii virtutes utcunque referuntur, quem R<sup>mae</sup> D. T. cordi fuisse non ignoror. at certum typographum nondum habeo; is enim qui Lipsiae est, non potest mihi sine summo periculo amplius excudere quicquam. de alio igitur nunc circumspicio, cui quaedam excudenda tradere possim. urget enim pius et afflictus episcopus mens Misnensis ut contra Philippi Melanchthonis novos libellos aliquid edam, et maxime contra novas Lutheranorum ordinationes, quas sibi frivole usurpant, dum presbyteros et diaconos ordinant ii qui non sunt episcopi. quales Lipsiae nuper multos ordinatos esse ferunt, et quales in Daniae regno innumeros ordinavit (ut audio) Joannes Pomeranus pastor, immo lupus Wittenbergensis. quam dispar autem sit regimen ducis Henrici a regimine fratris sui pie defuncti, ex nobilium 16 articulis, quos e teuthonico transtuli, intelliges. addo et alias duas schedulas<sup>1</sup>, ex quibus conjicere poteris quam periculose serpat latius indies magis ac magis haeresis lutherana, ex hoc maxime quod in magnis civitatibus tota juventus in scholis mox in primis rudimentis ea peste imbuitur. scribit doctor ille Melchior<sup>2</sup> quod senatus Magdaburgi

1) S. zu Nr. 62.

2) Vgl. in derselben Handschrift fol. 156: Haec d. Melchior theologus e Magdeburgo nuper ad me (so von Cochlaeus Hand, das fernere von anderer Hand): neque ego minus adgratulor Excellentiae Tuuae atque tu mihi, clarissime domine doctor, partim quod tantis persecutionum undis jactatus in portum emersisti tranquillum, partim quod eam conditionem nactus sis quae tuo statui tuisque studiis sit accommodatissima. nam haec civitas, in qua nunc agis, sub tam clementi coelo sita est ut mira amenitate multisque gratis animi tui vires recreare facile possit ac studium tuum grave atque sanctum lenire queat jucundissime. metuebam tibi et anxie quidem, non ignarus qua crudelitate te perditum iri cupiebat Lutheranorum scelestia cohors. ceterum Deo laus atque gratia, qui militem suum e faucibus tyrannorum eripuit et in salubrem locum et dignitatem collocavit, ubi ecclesiae suaee profuturus erit quam plurimum. ego apud eam nacionem ago vitam in qua

instituit scholam in monasterio fratrum Minorum, ubi supra 500 pueri imbuuntur isto veneno, e quibus plerique jubentur ad populum concionari, hoc est ex sermonibus Lutheri partem aliquam recitare; sic et Misnae nuper factum est, quippe veteri schola clausa nova instituta est in monasterio Minorum fratribus expulsis, ubi lutherani praeceptratores strenue inculcant pueris lutherismum; ita fit etiam in aliis urbibus, et hic Vratislaviae duae sunt scholae ejusmodi, in quibus ampla dantur praeceptoribus stipendia ex censibus sacerdotiorum, quae abolitis missis in eum convertuntur usum. res haec maxime terret me; quis enim extirpabit e cordibus hominum tot venena, quae in prima mox aetate hauriunt a praeceptoribus? interim vero languent paelati ecclesiarum, qui desperatione quadam negligunt contraire et antiquas manuteneret scholas. necessario igitur peribunt monasteria, etiamsi nulla foret expulsio aut persecutio monachorum, quia in scholis Catholiconum frigent studia et pauci sunt in eis scholastici. nisi igitur summus pontifex et monarchae aliique reges principesque et potentatus remedium aliquod opposuerint huic malo, inficientur et aliae nationes una post alteram, quia strenue agunt Lutherani ad propagandum evangelium suum.

Referam preterea rem dictu horrendam, quae hic nuper accidit. sunt nobis hic vicini quatuor fratres principes, duces Munsterbergenses ex stirpe regis Bohemiae Georgii, quem Girsiconem vocant Bohemi; hi pauperes sunt et multis egent. habent vicinum abbatem monasterii Henrichau, virum prudentem, qui domesticae rei studio labore et vigilantia ex paupere monasterio egregie opulentum fecit. hunc igitur captivum nuper tenuerunt illi principes, spe (ut suspicio est) extorquendae pecuniae. habebet ille salvum conductum a rege Ferdinando, sub quo, ut rege Bohemiae, degunt illi principes. rex igitur ubi accepit abbatem esse captum, protinus per heroldum suum mandavit principibus sub magna mulcta, ut libere abbatem dimitterent, quod et factum est. evocavit praeterea et citavit principes illos heroldus, ut Pragae personaliter comparerent coram rege hujus excessus rationem reddituri. anxii principes petierunt litteras commendaticias a reliquis principibus et statibus Slesiae, quibus impetratis miserunt unum ex fratribus Pragam, quo et abbas profectus est; quam vero tulerit sententiam rex, nondum nobis constat. interim prior illius monasterii, homo Polonus et perfidus, qui occulte conspiraverat cum illis principibus ut ipse posset fieri abbas, elaturns principibus omnia bona monasterii servata sibi modica parte pro se et uxore ducenda, ubi vidiit abbatem liberatum, vectus in principum curru suspendit se

---

aeris ingenium mihi non probe favet, ubi bona pars populi incivilis victu labioque ac moribus molesta mihi et gravis etc.

ípsum in curru; absciso autem fune per alium tria pectori suo vulnera ultro inflixit. depositus autem e curru, per chirurgicos refocillatus jacuit semianimis quinque diebus; ubi autem mulier quae curam ejus gerebat, exilisset stubbellam, in qua jacebat, ille mox e lecto surgens et januam sera claudens caput illisit trabi inlaqueari vehementissime crebris vicibus, ita ut cranium misere perfregerit in centum fere oscula<sup>1</sup>; nam et securim apprehendit, quam capiti saepe illisit. tandem refracta sera subventum est, ne mox totum se conficeret. jacuit deinde rursus biduo aut triduo antequam funestam exhalare potuerit animam. sepultus tamen est a Lutheranis hic in loco consecrato. haec sunt R<sup>me</sup> domine horrenda tragicæ fabulae nequaquam fictæ verba<sup>2</sup>.

In<sup>3</sup> regno autem Poloniae omnia adhuc servantur quae catholicae sunt religionis. caeterum marchio Brandenburgensis elector nuper instinctu Philippi Melanchthonis luthericam fecit ordinacionem in terris suis, vocatis ad eam dietam provincialem tribus episcopis suis, e quibus unus, nempe Brandenburgensis<sup>4</sup>, consensisse dicitur et missam teuthonice celebrasse, in qua sub utraque specie communicaverit principem et aulicos ejus. audio et Wicelium, qui apud ipsum Berolini est, ad eam rem cooperari, nondum tamen certum habeo quid faciat.

Empfehlungen an die Kardinäle Pole Sadolet Aleander Contarini Farnese Simoneta und an den jüngeren Campeggio, cuius pater delectissimus mihi patronus ac dominus fuit<sup>5</sup>.

Ex Vratislavia pridie kalendas februarias 1540.

Joh. Cochlaeus  
canonicus Vratislaviensis.

**62. Cochlaeus an Kardinal Contarini:** Sadolet. Schrift über die Vorgänge in Sachsen. Melanchthon. Gegenschriften des Cochlaeus. Wolrab den Ketzern unterthan; Errichtung einer neuen katholischen Offizin in Mainz. Hoffnung auf Unterstützung; finanzielle Lage. Verbreitung der neuen Lehren durch die protestantischen Schulen. Ausstattung der letzteren mit eingezogenen Benefizien in Breslau und anderswo. Übersetzungen ketzerischer Schriften. Der Famulus des Cochlaeus; Mangel an Abschreibern. 1540 März 9 Breslau.

Aus Arch. Vat. Arm. 62 vol. 37 fol. 158—159, eigenh. Orig.,

1) Am Rande (von Cochlaeus): nolim haec de me rescire principes illos aut alios vicinos Lutheranos, quia periculosem foret.

2) Folgen 1½ unleserlich gemachte Zeilen.

3) Von hier bis quid faciat bei Raynaldus l. c.

4) Mathias von Jagow.

5) Kardinal Lorenzo Campeggi war im Juli 1539 gestorben; der Sohn ist Alessandro, welcher später auch den Purpur erlangte.

ein Bruchstück gedruckt Raynaldi Annal. eccles. 1540 § 5 aus  
der nämlichen Vorlage.

S. ad binas Amplitudinis Tuae litteras, quas diverso tempore  
scriptas ego simul recepi die 25 julii anni elapsi, respondi in-  
terim non semel<sup>1</sup>. an vero Celsitudo Tua quicquam litterarum  
interim a me acceperit, nondum scio. arbitror vagum exilium  
meum in causa fuisse. hisce autem diebus e Nurenberga literas  
recepit R<sup>mi</sup> domini cardinalis Sadoleti Carpenteracti 12 novembris  
datas<sup>2</sup>. ad quas ipsius jussu nunc respondeo, et quaedam ad-  
jungo quae a Tua quoque Celsitudine legi velim, antequam ad  
illum simul cum literis meis trasmittantur. scripsi equidem nar-  
rationem hand ita brevem de iis quae post obitum pii principis et  
patroni mei ducis Saxoniae Georgii in iis contigere provinciis quas ipse  
catholicas reliquit. neendum tamen satis scio, an eam evulgare  
debeam necne, adeo turbulenta sunt haec tempora. quali autem  
erga Catholicos nunc animo sit Philippus Melanchthon, quem hac-  
tenus Luthero longe mansuetiorem ac modestiorem judicaverunt  
plaeisque, ne dicam omnes, ex hoc, quem nunc mitto, libello  
ipsius intelligi datur. scripsit et alios duos, intra paucos menses  
editos, quorum prior est de autoritate ecclesiae latine scriptus,  
alter teuthonice scriptus de precipua in 16 articulis differentia  
inter lutheranam, quam evangelicam vocat, et inter catholicam  
quam probrose papisticam vocat, doctrinam. quantum in illis  
malignitatis sit mendacique et veneni, ex parte declaravi hisce  
diebus, dum quintam scriberem Philippicam; scripsi praeterea libel-  
lum adversus novam temeritatem Lutheranorum, qua non episcopi  
Lutherus et Pomeranus vane in presbyteros et diaconos ordinant  
laicos sutores et quoslibet qui saltem teuthonice legere noverunt;  
et in novum eorum errorem, quo dicunt in hostia consecrata, quae  
post usum communioris remanet et vel in monstrantia ad circum-  
ferendum venerabiliter vel in ciborio pro infirmis reservatur, non  
remancere corpus domini, proinde nos impiam circa eam perpetrare  
idolatriam, alium quendam scripsi libellum teuthonice. sed quid  
scripsisse juvat, si non possis edere pro aliis quid scripseris?  
omnem pene substantiam meam converti in affinem quendam  
meum, ut typographiae officium institueret; institutum illud pros-  
pere processit usque ad obitum piissimi principis et domini mei.  
deinde vero fortunae iniquitas convertit in me ipsum arma mea:  
unde factum est, ut is, qui antea mecum colligebat, nunc contra  
me et omnes Catholicos cum Lutheranis Lipsiae dispergit, non

1) Einen dieser Briefe des Cochlaeus, vom 12. Oktober 1539, s. bei  
Dittrich, Regesten S. 380.

2) Gedruckt Sadoleti epistolarum, libri XVI, p. 494—496.

tam ex malicia quam ex debitorum urgente necessitate<sup>1</sup>. gravissimo enim affectus damno in submersione impressorum a se domini Nauseae et Vicelii exemplarium carcerique mancipatus duro non evasisset, nisi pro eo intercessisset uxor ducis Henrici<sup>2</sup>, mulier lutheranissima, quae ut hominem in suam traheret sectam, impetravit ei a marito lucrosum privilegium, quo solus possit luthericos quosdam libros in universo ducis Henrici principatu et imprimere et vendere, quandoquidem habet officinam melioribus literarum formulis instructam quam habent omnes Wittenbergenses, et nescio an etiam Frobenio Basiliensi in latinis atque teuthonicis typis cedere debeat. ad hanc officinam peruenit ille cura impensaque et promotione mea precipue et Rev. d. episcopi Vienensis, quam Lutherani nobis nunc praeripiunt. itaque alteri ex affinibus meis<sup>3</sup> persuasi ut, relicta Dresda propter Lutherismum, Moguntiam transmigret, ab Albi scilicet ad Rhenum, per longam sane locorum distantiam et intercapedinem, ibique ope et consilio prioris typographi communis nostri affinis, qui Lipsiae propter debita remanere cogitur, novam pro nobis officinam impressoriam erigat Moguntiae. sed pauperior est, quam ut suis propriis impensis statim excudere nostra possit. ego autem meo, quod reliquum adhuc est, peculio ad proprias indigeo necessitates, quas pientissime profecto nuper suo levavit subsidio Rev. d. episcopus Veronensis, qui longe ultra spem meam centum mihi misit florenos in calamitatum mearum relevamen. at scribo nunc R<sup>mo</sup> domino cardinali Sadoleti me illius subsidio tam largo ad proprias opus habere necessitates, et rogo eum ut una cum R<sup>ma</sup> D. T. intercedat apud summum pontificem, ut ullam ex pingui aliquo sacerdotio pensionis portionem in pium defendendae fidei catholicae et auctoritatis Romanae ecclesiae usum in me derivet, unde possim novo rursus typographo opem ferre, sicut factum est pientissime ante biennium, quando jure et intercessione R<sup>mi</sup> d. cardinalis Farnesii vicecancellarii reservata mihi est septima pars ex pensione praepositurae Heribolensis: quae sane portio mihi charior est omnibus sacerdotiis! grandes dignitatum titulos minime ambo, sufficit mihi abunde titulus canonici; longe itaque majori me affeceritis et gratia et beneficio si quid pensionis impetraveritis mihi quam si decem decanatus aut praeposituras in me converteritis. date titulos dignitatum aliis, mihi portiunculam ex fruc-

1) Über die Schicksale Wolrabs und seiner Firma seit der Protestantierung des Herzogtums Sachsen vgl. S. Widmann, Eine Mainzer Presse der Reformationszeit im Dienste der katholischen Litteratur (Paderb. 1889), S. 54 ff.

2) Katharina von Mecklenburg.

3) Franz Behem, von dem die angezogene Schrift Widmanns eingehend handelt. Er war der Schwager des Cochlaeus.

tibus, ne dicant adversarii me quaestus gratia facere ac pati omnia, ut sunt suspitosi ac maledici. quod igitur rogo R<sup>mum</sup> d. cardinalem Sadoletum, id ipsum Tuam quoque Celsitudinem supplex et oro et obsecro.

Nostri<sup>1</sup> in Germania ecclesiarum praelati fatali quadam ignavia dicam an desperatione languent, suorum ubique patientes censum accisionem ac decrementum; Lutherani vero nullis parcere satagunt curis laboribusque et sumptibus, excogitant varias rationes et ordinationes, quibus stabiliant sectam suam, ordinant superattendentes, novos scilicet episcopos, quibus dant potestatem ordinandi presbyteros et diaconos unicuique in suo districtu. in scholis vero diligentissime imbuunt pueros et suae doctrinae commendatione et papistarum odio ac detestatione, atque ut animosifiant ad praedicandum populis, exercent eos quibusdam ex postilla Lutheri declamationibus. suarum praeterea ecclesiarum ministris largius amplificant stipendia, quemadmodum et scholarum rectoribus ex abolitione missarum privatarum. audio equidem in hac ampla et egregia civitate Vratislaviensi, quae jam ultra quindecim annos perpetuo lutherizat, supra 500 beneficia simplicia, quae altaria vocant, abolevisse senatum et in communem cistam omnes fructus et redditus illorum convertisse, unde scholis suis ecclesiarumque ministris largius quam antea tribuant stipendia. hoc tamen a me scriptum nolle rescribere senatum. itidem fit Magdeburgi, Hamburgi et in omnibus fere urbibus et magnis et parvis per totam fere Germaniam, ubicunque invaluit haeresis ista, ut mihi sane difficillimum videatur e pectoribus hominum eradicare hanc luem et saniem, quam in teneris annis imbibunt in scholis et in publicis contionibus, atque etiam domi ex librorum lectiōibus. Deo tamen omnia possibilia sunt<sup>2</sup>, qui utique gratiam et opem suam non subtrahet, si nos quoque, quantum in nobis est, praestemus meliusque invigilemus. illi perstrenuos habent coadiutores, homines disertos ac scribendi stylo validos, qui nunc teuthonica Lutheri scripta in latinum vertunt, nunc latina Philippi scripta teuthonica amplificant. cuius rei breve accipe exemplum. ecce in ultimo hujus libelli Philippici quaternione multo brevior fit mentio de R<sup>mo</sup> d. cardinale Brundusino quam teuthonica facta est ab alio qui hunc libellum in vulgare nostrum transtulit; quod ut videoas, locum istum e teuthonica de verbo ad verbum transtulit et nuper, antequam latinum hunc Philippi libellum vidi sem, ad Rev. d. episcopum Veronensem transmisi, cuius exemplum nunc ad Tuam quoque Amplitudinem mitto<sup>3</sup>, quod etiam R<sup>mo</sup> d. cardi-

1) Von hier an bei Raynaldus l. c.

2) Ende des Bruchstücks bei Raynaldus.

3) Der betr. Auszug findet sich fol. 155 der nämlichen Handschrift.

nali Sadoleto communicare poteris simul cum libello Philippi, si opere precium fore visum fuerit. cui et scriptae narrationis particulam, quae ducis Georgii virtutes utcunque commemorat, simul transmitti velim, quandoquidem magnus illi fuerit amicus in vita, qui forsitan justa eas exornabit oratione, si ex hac narratiuncula mea illas certius cognoverit, quibus ego testis ocularis fui. boni precor consule pueri, affinis et famuli mei, qualemcumque scripturam. quamvis enim viginti jam annis adversus ecclesiae hostes decertavi laboribus curisque haud levibus, multas inde passus et injurias et aerumnas, exilia item et pericula, nondum tamen ad eas facultates perveni ut unum saltem justum et adulatum famulum alere ac stipendio fovere queam. unde fit ut cogar quoslibet libellos meos, quos edo, typographis transmittere, quales prima, quod dicitur, manu scripti sunt a me, et si exemplar scriptum interciperetur in via aut quavis fraude periret apud typographum, totus mihi periret labor, quia nullum aliud extaret aut reliquum esset apud me illius scripti exemplar. sic et has nunc, quas et ad R<sup>mam</sup> D. T. et ad cardinalem Sadoletum scribo, litteras sine ullo exemplari transmitto, quia non ausim puerum a scholae studio tam diu abstinere donec transcriberet. quod profecto non solum molestum mihi est, sed et periculosum, de tantis rebus ita scribere sine ullo apud me retento exemplo litterarum, per quod reminisci possim quaecumque scripserim, si opus foret. Misnae duos habebam pueros ad rescribendum instructos; hic unum habeo affinem, quem litterarum studia propter me negligere

Er lauet: Ex libro teuthonico, cui titulus est: principes et magistratus teneantur idolatriam et impium cultum abolere.

H. iii. quando cardinalis Aleander in Austriam venit, rursus incepta est persecutio et tyrannis, et multi probi ac religiosi homines ad complacendum papae legato occisi sunt. ejusmodi horrendis sacrificiis et innocentie sanguine sibi obsequium prestari et sacrificari sinunt sanguinarii canes, quemadmodum Graeci in obsidione Troiae innocentem regis filiam Polixenam immolabant. dictus autem Aleander tunc recens e concilio venerat et consultationi cardinalium interfuerat, de qua unusquisque sperabat doctos istos homines Contarenum, Sadoletum et Aleandrum hanc causam cordi habituros et miserac Christianitatis miserturos atque persecutionem temperatueros fuisse. at ingenium non deficit ab ingenio proposuerunt quidem bona verba, persecutionem nihilo secius exasperant. idcirco non est expectandum concilium et decretum partis papae adhaerentis etc. — haec ex teuthonico libro, quem Philippus Melanthon latine scripsisse dicitur, licet ego latine scriptum nondum viderim. vult autem in illo libro ut principes a canoniciis et a monachis bona temporalia tollant tanquam ab idolatriis, et tribuant ea pastoribus evangelicis et scholasticis ad litterarum studia; cumque valde prolixe per octo rationes probet ad principes spectare ut tollatur idolatria, presupponit stulte ac minime probat, nos idolatas esse aut religionem cultumque nostrum idolatriam esse.

nolim. plures recipere non audeo, quia domi mensam propriam nondum tenere possum propter primi anni tenues redditus praebendae.

Ex Vratislavia feria tertia post dominicam laetare 1540.

**63. Cochlaeus an Kardinal Simoneta:** Dank für einen sehr verspätet angekommenen Brief. Die Ereignisse in Sachsen. Irrfahrten; Unterkunft in Breslau. Wünscht Mittel zur Unterhaltung eines Amanuensen und Herausgabe von Streitschriften. Die geistlichen Einkünfte seitens der Neuerer bedroht. Konzil; der Kaiser im Reich erwartet. Angelegenheit des Crotus Rubbeanus. Schicksale der dem Cochlaeus zugesuchten Propstei von S. Severin in Köln. 1540 März 17 Breslau.

Aus Arch. Vat. Arm. 62 vol. 37 fol. 160, eigenh. Orig.; Adresse: ... Jacobo Symonetae ... presb. card. episcopo Pisauriensi etc. Romae.

R<sup>ma</sup> domine, princeps clarissime. S. consolatorias ac per omnia gratiosas R<sup>mæ</sup> D. T. litteras, datas Romae 18 die aprilis anno superiore, nuper hic recepi 17 die martis simul cum inclusis literis<sup>1</sup>, ad quas tam sero responderi, merito potuit interim R<sup>ma</sup> D. T. non mirari modo, sed etiam indignari. miror equidem et ego, quonam impedimento fuerint tot mensibus remoratae litterae tam benignae, piae ac eruditæ, ut tam sero ad me per venerint. sribit R<sup>ma</sup> D. T. meam se epistolam Misnae 25 februarii datam recepisse Romae 10 aprilis. at mox altero die, nempe 26 februarii, gravissimo percusus fui dolore, dum nunciaretur mihi obiisse ducem Fridericum ducis Georgii filium, novum maritum, in quo uno spes nobis reliqua erat conservandæ in ea patria catholicae religionis et fidei! obiit deinde et ipse pater die 17 aprilis. quantis inde terroribus periculisque et fugis usque ad mensem septembrem vexatus fuerim, nimis longum foret per epistolam referre. intelliget ea omnia R<sup>ma</sup> D. T. propediem ex libello quodam quem edere intendo. miserti sunt mei venerabiles domini canonici hujus ecclesiae Vratislaviensis, qui ultro me huc

1) Die inclusae literæ sind ein Brief des Johannes Crotus an Cochlaeus aus Halberstadt festo die inventionis s. Stephani [3 August] 1539. Crotus schreibe, er schicke einen aus Rom kommenden, für Cochlaeus bestimmten Brief, der anscheinend vom Kardinal Simoneta herrühre und zufällig nach Halberstadt verschlagen worden sei, an Nikolaus Wolrab, in der Hoffnung, dass dieser ihn weiter befördern werde, u. s. w. Eigenh. Orig. I. l. fol. 161; auf der Adresse von Cochlaeus' Hand: 17 martii 1540. — Über Crotus s. die nächste Anmerkung.

vocarunt et canonicatum vacantem mihi benignissime contulerunt mense septembri, vacaverat autem mense augusto. hic itaque nunc residueo. quoniam vero perspicue ex litteris R<sup>mæ</sup> D. T. intelligo pietatis erga me tuae gratiam ac benevolentiam, immo paternam erga totam Germanicam nationem curam charitatemque et compassionem, prebet mihi singularis haec bonitas tua fiduciam aperiendi desyderium meum. etemin video mihi plaeorsque dominos cardinales longe ultra meritum meum bene velle; scripsi nuper duobus, Contareno et Sadoleto, ut si me apud summum pontificem data oportunitate commendarent, non peterent pro me magnos et honorificos sacerdotiorum titulos, sed eos in alios conferri sinerent, qui pecuniosi aut nobiles sint ejusmodique honores ambient. mihi autem portiunculam aliquam pensionis ex illorum sacerdotiorum pinguium aliquo impetrent, quae mihi ad typographiae impensas non nihil subsidii quotannis afferat, quemadmodum plentissime ac oportunissime benefecit mihi R<sup>mus</sup> et Ill<sup>mus</sup> dominus cardinalis Farnesius ante biennium, quando donavit me septima parte pensionis ex praepositura Herbipolensi. quod si adhuc unam talem conquerer vestra omnium intercessione pensionis partem ex aliquo sacerdotio locuplete, satis superque dives forem, unde amanuensem unum alere possem et pro editione librorum non nihil subsidii habere. nescitis profecto, quam vehementer in omnibus fere magnis Germaniae civitatibus infecti sint cives et magnates simul cum populo haereticorum insanis, ut nobis Catholicis difficillimum sit reperire et typographos qui excudant et bibliopolas qui vendant et in orbem dispergant libros nostros contra Lutheranos. ad labores itaque scribendi accedunt semper etiam impensarum damna in aedendo. id praelati nostrates per pauci consyderant, languent fere omnes dum vident sibi de censibus quotidie subtrahi a laicis et gravia imminere pericula de tota substantia. palam enim nunc scribit Philippus Melanchthon quod principes teneantur ex praecepto Dei canonicas et monachis, qui falsum Dei cultum habeant, bona temporalia eripere et trans ferre ad evangelii sui concionatores et ad scholas erigendas. et quamquam R<sup>ma</sup> D. T. scribit in epistola sua, se ad concilium remitti, nobis tamen omnis jam spes ex longa expectatione refrixit. reviviscit quidem nunc spes bona ex adventu Caesaris; veremur tamen ne technis et falsis haereticorum promissis simulataque humilitate fallatur, ut omnia post discessum ejus in deterrius relabuntur.

Is autem qui adjunctas scripsit ad me literas, vir est neutiquam vulgaris eruditioinis, qui stilo et jucundis lectu inventi onibus egregie praestat; sed vereor sero nunc mitti ad R<sup>mam</sup> D. T. petitionem ejus post tot menses. sciet R<sup>ma</sup> D. T. quid facere possit aut debeat; de piissima et optima voluntate sua nihil dubi-

taverim<sup>1</sup>. bene valeat R<sup>mis</sup> D. T., clarissime praesul et princeps, meamque parvitatem, ubi oportunum fuerit, commendare dignetur R<sup>mis</sup> dominis cardinalibus dominis Contareno, Brundusino et Anglo; caeteros patronos meos nunc procul ab urbe degere existimo.

Ex Vratislavia 27 martii in vigilia sancta Pascae 1540.

San<sup>mus</sup> Dominus Noster ante annos aliquot contulerat mihi motu proprio praeposituram ecclesiae sancti Severini Coloniensis, quam archiepiscopus Coloniensis bene favisset mihi, et expectavit ultra tres menses a die vacationis, ut mihi possessio contingere. ubi autem accepit duorum curtisanorum fraudibus eam praeposituram a me in alium translatum fuisse, ipse eam comiti cuidam contulit, ne curtisanis lucrum ex fraude contingere. hoc mihi viri fide digni retulerunt. certe Rev. d. Petrus Paulus Vergerius cum esset nuncius apostolicus in Germania, congratulabundus scribebat mihi me jam divitem esse, quia eam praeposituram contulerit mihi papa. sed in vanum cecidit illius congratulatio<sup>2</sup>.

**64. Cochlaeus an Kardinal Contarini:** ein nicht ans Ziel gelangter Brief Contarinis an Cochlaeus. Dessen letzte Briefe an jenen. Nikolaus Wolrab und Franz Behem. Berufung des Cochlaeus nach Hagenau durch K. Ferdinand; daraus erwachsene Unkosten. Schriften. Contarinis Ankunft erwartet. 1540 Juni 18 Hagenau.

Aus Arch. Vat. Arm. 62 vol. 37 fol. 163, eigenh. Orig.

1) In einer Nachschrift zu dem Briefe an Cochlaeus teilt Crotus mit, Kardinal Simoneta habe alle Benefizien eines sehr reichen Kurtisanen Bobbinus davongetragen (impetravit); Crotus hofft, wenn Cochlaeus den Fürsprecher mache, aus der Zahl der Benefizien ein Magdeburger Kanonikat zu S. Sebastian ohne Abgaben oder sub tollerabili pensione erlangen zu können. Juro tibi, fügt Crotus hinzu, post hoc totum meum studium calamumque, licet perexigua sint illa, dicabo matri ecclesiae, ut dicas: Crotus neglecta resarcit; nam quod hactenus silui, factum est contra voluntatem meam fractam quadam indigna causa. — Crotus (Rubeanus), bekanntlich einer der hervorragendsten Mitarbeiter an den Epistolae obscurorum virorum, in der Folge eifriger Anhänger Luthers, war um 1531 zum Katholizismus zurückgekehrt, ohne jedoch für diesen trotz mancher Angriffe vonseiten der Neugläubigen litterarisch thätig zu sein. Sein Ausgang ist unbekannt; mit dem Jahre 1539 hören alle Nachrichten von ihm auf; doch sehen wir aus diesem Briefe des Cochlaeus, daß er damals, im Jahre 1540, noch am Leben war. Auch daß er in Halberstadt lebte, war bisher unbekannt (s. Horowitz in Allg. Deutsche Biogr., Bd. IV, S. 612 ff.).

2) Vgl. hierzu oben Nr. 42 und 48 und unten Nr. 78.

R<sup>me</sup> domine clarissime princeps.

S. recepi nudius tertius litteras ab episcopo Eystetensi<sup>1</sup>, in quibus erant haec verba: mitto tibi epistolam R<sup>mi</sup> domini cardinalis Contarenii<sup>2</sup>; at eam epistolam non reperi vel inclusam vel adjunctam illius literis: multo igitur cum dolore tua illa, quae cunque est, epistola careo et velut amissum thesaurum deploro, licet spe adhuc aliqua recuperandi illam tenear. protinus enim rescripsi episcopo illi, me R<sup>mæ</sup> D. T. epistolam non accepise. scripsi ad R<sup>mam</sup> D. T. prolixas aliquando epistolas e Vienna et e Vratislavia; an eas receperit Celsitudo Tua, nondum rescrire potui<sup>3</sup>. impudentius quaedam per necessitatem scripsi, non tam proprii commodi quam publicae utilitatis gratia. rogo igitur suppliciter, ut R<sup>ma</sup> D. T. non aliter accipiat et eam mihi condonet clementer inverecundiam. eum typographum, affinem meum, in quem Lipsiae multa, vel supra facultates meas, contuli, infoelicissime amisi, ita ut mortuum facilius leviusque deplorarem quam vivum. mortuus enim, sicut non prodesset, ita nec obesset; nunc autem corpore vivens et anima mortuus, per sectam, dum sectae servire cogitur, nobis interim nocet. imprimit itaque adversum nos Catholicos novas ducis Saxonie Henrici ordinationes, ne dicam prophanationes et meras impiae sectae confusiones, quae publice circumferuntur. esset quidem adhuc voluntarius ad serviendum nobis, sed Lipsiae degens non audet. quid faciam? Wicelii opuscula præ omnibus Catholicorum libris raptim emuntur, quia is non est per omnia papista, sicut nos veteres probrose nunc vocamur Catholici. ea molestissime urunt et vexant Lutheranos, quos illa præcipue in dogmate de fide et operibus reprobant atque traducunt. ut igitur et nostra et Wicelii opuscula tuto excudi queant, persuasi alteri ex affinibus meis ut relicta Dresdena (ubi catholicus residebat princeps dux Georgius fel. rec.) commigret Moguntiam aut in propinquum ad Rhenum oppidum, ubi tuto possit servire nobis. novam vero erigere officinam imprimitoriam, præsertim bonis instructam praelis et characteribus, nemo sine bona pecuniae summa potest. scribo igitur nunc R<sup>mo</sup> et Ill<sup>mo</sup> domino cardinali Farnesio vicecancellario<sup>4</sup>, si forte Cel-

1) Moritz von Hutten 1539—1552.

2) Vom 24. April 1540, gedruckt Dittrich, Regesten und Briefe Contarinis, S. 310.

3) Der Breslauer Brief = Nr. 62; das Schreiben aus Wien scheint verloren zu sein; Contarini erwähnt in dem übrigens sehr kurzen und flüchtigen Briefe der vorigen Anmerkung, dafs er zwei Briefe des Cochlaeus erhalten habe.

4) Durch Cervini empfahl auch der Nuntius Morone Cochlaeus dem Kardinal Farnese, d. d. Hagenau, 11. Juni: Schultze in Zeitschr. f. K.-Gesch. III, 643.

situdo ejus dignetur me hanc ob rem pensione adhuc aliqua ex ecclesiastico aliquo beneficio juvare, unde novo possit succurri typographo. hoc consilium meum, si R<sup>ma</sup> D. T. probaverit, oportune promovere apud illum poterit, si de eo aliquam fecerit mentionem.

Vocatus sum hic a Ser<sup>mo</sup> rege Romanorum, sed potuisset me rectius vocare, si scripsisset capitulo ecclesiae Vratislaviensis, ut me hic mitteret; hoc enim modo et alienis sumptibus huc venissem atque hic consisterem ad tempus, domumque redire possem et domi interim ex emolumentis et presentiarum (ut vocant) perceptione nihil perdidissem. nunc vero, quia nec episcopo nec capitulo, sed mihi scripsit rex, meis milito stipendiis ac sumptibus et domi cunctis carendum est emolumentis, quia pro praesente non habeor. haberer autem, si missus essem a capitulo; quamvis vocatus sim non ob aliud quam ob causam religionis. unde fiet, ut haec profectio multis me debitiss sit involutura. quamvis enim in literis regiiis promitterent mihi itineris expensae, nunc tamen nemo dicit: quantum expendisti, aut unde facis aut accipis sumptus? sed haec inter nos, nolim de optimo rege conqueri.

Scripsi hic quaedam ad causam religionis pertinentia, partim latine, quod soli regi exhibui<sup>1</sup>, partim teuthonice, quae regi quidem tradidi, sed non soli regi legenda<sup>2</sup>. archiepiscopi nostri nondum venerunt, expectantur in horas; sine quibus efficaciter aut salubriter agi non potest. comedi hodie prandium cum magnifico domino Marino Justiniano oratore Venetorum, cum quo et orator regis Franciae<sup>3</sup> prandebat; affirmaverunt ambo, R<sup>mam</sup> D. T. intra 15 dies hic venturam esse. non opus est igitur, ut literis nunc prolixius agam, spero enim me hic facie ad faciem cum R<sup>ma</sup> D. T. colloqui<sup>4</sup>. bene valeat Celsitudo Tua amplissime et benignissime patronae.

Ex Hagenoia 18 junii anno domini 1540.

## 65. Cochlaeus an Kardinal Farnese:

Berufung nach Hagenau durch K. Ferdinand. Beschwerliche Reise. Vereitelte Hoffnung, Farnese dort zu treffen. Nutzen der ihm durch letzteren früher bewilligten Pension; Bewerbung um eine fernere

1) Die Pia admonitio Coclei ad Ser<sup>mum</sup> Romanorum regem, datiert Hagenau, 17. Juni 1540, gedruckt Dittrich, Nuntiaturberichte Morones, S. 145ff.

2) Über die Thätigkeit des Cochlaeus in Hagenau vgl. bes. unten Nr. 66.

3) Lazare de Baif.

4) Unter dem 26. Mai zeigte Contarini dem Nuntius Morone und anderen seine (später bekanntlich widerrufene) Ernennung zum Legaten für Deutschland an: Dittrich, Regesten und Briefe Contarinis, S. 125f.

Pension, um dem neuen katholischen Buchdrucker helfen zu können. Thätigkeit in Hagenau bei K. Ferdinand. 1540  
Juni 18 Hagenau.

Aus Parma Arch. di Stato Carteggio Farnesiano, eigenh. Orig.

Vocavit me huc e Vratislavia Ser<sup>mus</sup> rex Romanorum per literas suas, quas Gandavi datas 23 aprilis, accepi Nissae 11 maji (est autem Nissa urbs episcopi Vratislaviensis 11 mil. a Vratislavia distans). cumque iter peregrissem per Slesiam et Lusatiam, monitus fui ab amicis ne per terras ducum Saxoniae transirem, itaque declinandum mihi fuit ad latus per Bohemiae montana, in quibus multum molestiae ac difficultatis pertuli. omnia vero aequanimitter ferebam, ea spe quod R<sup>mam</sup> Dominationem Tuam hic vedere possim. at ubi adveni, ex episcopo Mutinensi nuncio apostolico intellexi R<sup>mam</sup> et Ill<sup>mam</sup> Celsitudinem Tuam revocatam esse Romam. quam ego maxime cupiebam vedere eique coram supplici vultu ac voce gratias agere (quod antea literis haud semel nec segniter feci) pro liberali in me gratia et provisione, qua egestatem meam clementissime relevavit reservatione centum florinorum ex annua pensione praepositurae Herbipolensis. qua si carendum mihi fuisset, multos interim libellos edere non potuissem; ipsa profecto praecipuum mihi erat anno superiore solatium et animi fortitudo in fuga et dispersione exilioque meo, quod sperabam, si eriperentur mihi reliqua omnia, haec una saltem salva maneret. quod autem in uno loco erectum est, hoc in alio Deus clementissime restituit, et quem Misnia expulit, Slesia recepit. ceterum id molestissime habet me quod typographum Lipsiensem pars adversa nobis eripuit, ut servire nobis amplius non ausit. unde fit ut alteri affini, qui Dresdae (ubi catholicus residebat princeps dux Saxoniae Georgius fel. re.) habitavit, persuaserim ut venditis omnibus cum uxore ac liberis suis commigret Moguntiam atque ibi novam nobis Catholicis officinam erigat impressoriam. ad eam vero rem novo nobis opus foret subsidio. si posset igitur comode fieri, R<sup>ma</sup> et Ill<sup>ma</sup> Celsitudo Tua rem multo pientissimam faceret, si adhuc aliquid pensionis ex ecclesiastico aliquo beneficio clementer parvitati meae procuraret, unde novum typographum juvare et in pedes erigere possim. ad novam enim officinam impressoriam recte instituendam permultis opus est.

Apud regem Romanorum hic meo fungar officio, ne quam approbet concordiam quae a sede apostolica approbari non queat, quamquam id ipsum et Rev. dominus episcopus Mutinensis atque etiam Vienensis vigilantissime facit, et rex ipse ultiro constantissimi est pro fide catholica animi. bene valeat Amplitudo Tua, princeps et domine clementissime.

Ex Hagenobia 18 junii 1540.

**66. Cochlaeus an Kardinal Marcello Cervini:** dessen wohlwollende Absichten. Kostspieligkeit des Aufenthalts in Hagenau; Thätigkeit daselbst. Das Konsilium und andere Schriften. 1540 Juli 7 Hagenau.

Aus Florenz Arch. di Stato Carte Cervin. filza 40 nr. 4 eigenh. Orig.; Adr.: R<sup>mo</sup> domino Marcello S. R. E. cardinali etc., summi pontificis et sedis apostol. apud Caes. Maj. legato de latere ...

Dankt für Cervinis in einem Brief an Morone gegebenes Versprechen, sich für ihn beim Papste zu verwenden; beklagt, dass er hier, da K. Ferdinand versäumt habe, ihn seinem Bischof oder Kapitel abzufordern, auf eigene Kosten leben müsse. *habeo alioqui benignos in eo capitulo dominos et confratres, qui compatientes mihi dono dederunt in viaticum 12 florenos Rhenen.; sed quid haec pecuniola ad iter tam longum et ad quotidianos sumptus adeo diuturnos, in hac praesertim urbe non admodum magna nec in fertili solo posita, in qua nunc tantus est hominum et equorum numerus? quamvis enim pauper essem, utpote exul et novicius ibi canonicus, non potui tamen minus quam duos conducere equos, pro quorum usu emi levem quadrigulam, in qua vestes et libros quosdam necessarios mecum advehere possem. adduxi et puerum quandam mihi affinem, cuius hic opera utor in scribendo et quidem valde nunc necessaria: possum enim vere affirmare decies mihi plus laboris hic esse quam foret domi; adeo multis opus est scribendis et suggestionibus ad regem et ad principes alios adversus technas adversariorum et translationibus scriptorum de una lingua in aliam, nunc de latina in teuthonicam, nunc econtra. promittebat quidem rex in literis ad me suis se velle mihi sumptus itineris restituere; at nemo hic unquam me interrogavit quidnam exposuerim aut unde hic vivam. scio quidem regem natura liberalissimum esse; sed cum non ignorem eum pluribus egere, non ausim de meis conqueri sumptibus, qui tamen non adeo leves sunt. quotidie enim consumunt et comedunt duo equi et duo famuli, nempe vector et puer amanuensis, ut taceam de reliquis sumptibus casu incidentibus et necessariis, licet nuncius apostolicus liberalissime personam meam quotidie ad mensam suam invitet.*

Quamprimum huc veni et Regiae Majestati me exhibui, injunxit mibi rex ut scriberem sententiam meam super 28 articulis lutheranae confessionis, quae Augustae olim Caesari oblata fuit. scripsi eam sententiam primam teuthonice, deinde et latine<sup>1</sup>, cuius exemplar

1) Diese Schrift des Cochlaeus (*Consilium super 28 articulis Augustensibus regi Romanorum exhibitum die 27 junii 1540*) ist bei Ray-

ad R<sup>mam</sup> D. T. mittere nondum audeo, quia aliquanto prolixius est et vereor ne taediosa foret Amplitudini Tuae tot arduis curis et negotiis occupatae illius lectio. si tamen scirem id ingratum aut molestum non fore, nequaquam gravarer exemplum unum ad R<sup>mam</sup> D. T. transmittere. mitto autem nunc alia quaedam, quorum nonnulla talia esse puto ut inutile fortasse non fuerit super iis cum Caesarea Majestate colloqui<sup>1</sup>. si tamen stultiora et ineptiora visa fuerint quam ut Caesari debeant indicari, excusatam habeat oro clementia tua simplicitatem meam et bonam interim voluntatem studiumque et intentionem meam attendat potius quam opus aut effectum; quod Amplitudinem Tuam omnino facturam esse sperare me jubet laudatissima et a multis mihi praedicata bonitas tua, cui me etiam atque etiam humillime pariter ac devotissime commendo. bene valeat R<sup>ma</sup> D. T., amplissime pater.

Ex Hagenoia 7 die julii 1540.

**67. Cochlaeus an Robert Vauchop, Erzbischof von Armaghan<sup>2</sup>:** Schwierigkeit, für die katholischen Autoren geeignete Drucker und Verleger zu finden. Nikolaus Wolrab und sein Schicksal. Franz Behem. Absicht, durch diesen Witzels Hagiologium zum Druck zu bringen; Fehlen der erforderlichen Mittel. 1540 November 20 Worms.

Aus Arch. Vat. Nunz. di Germ. vol. 58 fol. 23<sup>a</sup>—24<sup>b</sup>, gleichz. Abschr., darüber von derselben Hand: exemplum litterarum Cochlei ad doctorem Scotum Wormatiae mense novembri, receptae Romae 11 decembris. Die Adresse (fol. 24<sup>b</sup>) lautet: Rev. in Christo patri, nobili ac magnifico domino doctori Roberto Roget [...] Scoto electo Armacano etc.; daselbst nochmals: recepta Romae 11 decembris.

S. P. Rev. pater, clarissime domine doctor. nobis per Germaniam catholicis contra haereticos scriptoribus nihil fuit per annos jam 20 molestius aut perniciosius quam typographorum infidelitas et negligentia atque etiam penuria: infidelitas sane, quia mendosissime impresserunt; negligentia, quia vendere et in orbem dispergere noluerunt; penuria denique, quia, cum sint ferme omnes

naldus, Ann. eccl. 1540, § 49 gedruckt. Vgl. auch Geß a. a. O. S. 50; Pastor, Reunionsbestrebungen, S. 191f.

1) Kardinal Cervini war nach der Rückberufung Farneses, den er auf der Legation zum Kaiser begleitet hatte, als Legat am Hofe des letzteren (in den Niederlanden) zurückgeblieben.

2) Vauchop befand sich ebenfalls zu Worms am Religionsgespräch; vgl. seinen Brief an Farnese vom 26. November, der sich hauptsächlich mit Cochlaeus beschäftigt; gedr. Lämmer, Monumenta Vaticana, p. 303sq., nr. 187.

Lutherismo infecti, nobis non serviebant nisi aere nostro conducti essent, non gratis, sed pro precio imprimentes nostra.

Si forte Rev. D. V. non credit mihi, interroget ex reliquis, qui modo hic sunt, presertim ex domino Joanne Eckio, ex domino Nausea et ex domino Mesingo suffraganeo Alberstatensi, qui satis multa ediderunt opuscola; super omnes vero plurimum pecuniae impendit in typographos Rev. d. Joannes Fabri episcopus Vienensis, qui per aegrotationem nunc abest.

Haec itaque res, cum non possem amplius neque Coloniae neque Moguntiae neque Argentinae aut Lipsiae aut Augustae ullos commode habere impressores, coagit me ex affinibus meis unum subornare, qui primum venderet ea quae mihi ab aliis essent impressa, deinde ipsem etiam pressoriam institueret officinam. certe super mille florenos per quatuor aut quinque annos in eam impendi; nec me poenitebat impensarum, quoad vixit pius et illustris princeps dux Saxoniae Georgius. eo autem mortuo impressor ille, nomine Nicolaus Wolrab, a duce Henrico fratre ducis Georgii fel. re., principe lutherano, conjectus fuit Lipsiae in carcerem tetrum; libri autem bene magni, quos tum sub prelo habebat, utpote postilla Wicelii et epitomen domini Nauseae, acerbatim in flumen sunt projecti. et nisi uxor ducis lutheranissima sub spe trahendi impressorem illum (qui certe optimas habebat scripturas nihilo inferiores Frobenianis Basileae) in partem Lutheri adjuvisset captivum, aut capite plexus fuisset aut perpetuo carceri mancipatus. ea igitur necessitate tractus est miser in partem Lutheri, cui nunc servit invitus.

Coactus sum itaque alium excitare affinem, qui Dresdae habitabat eratque compactor et venditor librorum sub duce Georgio. is igitur suasu et consilio meo vendidit ac dereliquit omnia quae Dresdae habuit, et cum uxore sua (quae mihi ex sorore neptis est) parvulisque liberis suis transmigravit Maguntiam, emitque aeneas scripturas bonas ab altero, qui Lipsiae est, affine meo, ut mihi aliisque serviat catholicis scriptoribus, qui et istum, quem heri tradidi Rev. D<sup>ni</sup> V. libellum impressit<sup>1</sup>. quoniam vero domum propriam nondum habet ac aegre suam exercet officinam in aedibus nepotis mei, qui canonicus est ad sanctum Victorem prope Moguntiam, non poterit diu sic agere nisi adjuvetur.

1) Laut des erwähnten Briefes Vauchops ist die Schrift des Cochlaeus gemeint, die betitelt ist: De ordinatione episcoporum atque presbyterorum ...; nach Widmann a. a. O. S. 72 trägt der Druck freilich die Jahreszahl 1541; hier wird nur ein einziger Druck Behems aus dem Jahre 1540 angeführt, nämlich Nauseas Hortatio ad concordiam; dagegen spricht Cochlaeus in Nr. 68 (vom 24. November 1540) ausdrücklich von libelli duo quos novus meus impressor excudit nuper (in Nr. 69 heißt es: tria exemplaria recens excusa, doch brauchen das natürlich nicht drei verschiedene Schriften zu sein).

Scribit nunc Vicelius ex antiquissimis ac probatissimis veteris bibliothecae Fuldensis [libris] hagiogium, idest legendas sanctorum, opus procul dubio praeclarum ac valde vendibile; quod etsi multi ab eo petunt typographi lucri causa, mallet tamen Vicelius istum meum affinem propter fidelitatem et bonas scripturas aeneas omnibus aliis praeferre, si posset is onus expensarum perferre; nihil autem poterit, nisi juvetur ab aliis. ego quidem maxime cuperem eum juvare, si possem; scio enim quod magnum inde consecuturus esset lucrum, si suis posset opus illud excudere impensis, et ita posset postea alia quoque opuscula nostra suis expensis imprimere. at meorum facultatum tenuitas non sinit, ut juvem illum quantum opus foret. accepi quidem nudius tertius licteras cambii pro 50 florenis renensibus ab optimo et piissimo viro R<sup>mo</sup> d. cardinali Marcello legato etc.<sup>1</sup>, quibus addam alios quoque 50 florenos ex pensione praepositurae Herbipolensis, si supervixero natalem domini proximum, ut adjuvem illum centum florenis; sed hec summa non sufficit. requiruntur bene sexenti floreni pro papiro ad opus illud splendide excudendum<sup>2</sup>. nostri autem praelati adeo non curant de hujusmodi rebus, ut ne in mutuum quidem aliquid dare velint. quum igitur ex aliquot jam colloquiis intellecterim singularem ac mirificum zelum pietatis in Rev. D. V., visum est mihi hanc necessariam curam meam detegere et sub spe boni consilii in sinum prudentiae vestrae effundere. quod ut aequo animo accipiat Rev. D. V., iterum atque iterum rogo et obsecro ...

Ex aedibus hospitis mei Wormatiae 20 die novembris 1540.

**68. Cochlaeus an Kardinal Cervini:** Dank für ÜberSendung eines Geldgeschenks. Verlustvolle Rückreise aus Hagenau nach Breslau. Abermalige Berufung durch den König nach Worms. Ankunft Granellas. Die Verordneten des Kaisers und K. Ferdinands. Die übrigen Theologen. Zusammenkunft beim Bischof von Feltre. Schriften des Cochlaeus; die ersten Drucke Behems. Notwendigkeit, letzteren zu unterstützen. Geht vielleicht nach Regensburg. — Eröffnung des Religionsgespräches am 25. November. Rede Granellas. 1540 November 24/25 Worms.

Aus Florenz Arch. di Stato Carte Farnes. filza 40 nr. 5, eigenh. Orig., auf der Adresse: risposta a 8 di gennaro.

R<sup>me</sup> domine patronne et benefactor pientissime.

S. literas R<sup>mae</sup> D. T., datas Bruxellis secunda septembbris,

1) Vgl. nr. 68.

2) Das Hagiogium des Witzel gelangte im Jahre 1541 zum Druck durch Behem: s. Widmann S. 74 (nr. 9).

recepit nuper hic Wormacie die 18 novembris, in quibus et cambii literas simul acceperit pro 50 florenis tuae summae erga pauperes pietatis beneficio Nurenbergae recipiendis. quas igitur gratias digne agere potero unquam? non enim adjuvas solum aere tuo, sed etiam commendas me aliis ut et ipsi adjuvent. macte pietate singulari antiquorum praezulm lucidissimum speculum verissimumque exemplar atque specimen! misisti 50 flor. mihi in subsidium impensarum, quum nondum scires meam quam post datas ad R<sup>mam</sup> D. T. a me literas<sup>1</sup> Hageniae passus sum calamitatem. nam quum abeundum esset, ambos repente perdidi equos, ex nimio calore in itinere e Spira, ubi eos alueram, mortuos; quorum sane interitu impeditus fui ne R<sup>mum</sup> dominum episcopum Mutinensem nuncium apostolicum in regis comitatu sequerer, qui pro summa in me benignitate et gratia sua me in suis toto itinere sumptibus tenere volebat. unde factum est ut abeuntibus universis ego per biduum remanere coactus fuerim, donec alios mihi compararem equos et eos quidem jam antea fessos et labore propemodum exhaustos. atque ita peregi redditum meum Vratislaviam usque incolumis et illesus Deo protectore, licet nulli alii adesserent mihi itineris comites grandisque sit locorum distantia. est enim Vratislavia in confinibus Polonie. et nunc iterum regiis evocatus literis huc venire coactus sum ad colloquium cum Lutheranis habendum. veni autem inter primos ante alios regis Romanorum oratores, immo et ante omnes omnium principum electorum legatos et nuntios. neque tamen actum est adhuc quicquam, licet quatuor jam septimanae a die prescripto transierint. omnes enim expectant Caesarei oratoris, illustris domini de Granvella, adventum, qui 22 die hujus mensis primum advenit, cui nos regii oratores addicti sumus quasi superintendentes in hujus colloquii negocio, ut Caesar et rex unam repräsentent personam. sunt nostrum quatuor: episcopus Secoviensis<sup>2</sup>, dominus Nausea, ordinarius theologiae<sup>3</sup>; orator Caesareus habet secum quatuor theologos Hispanos et commisit ut illi simul cum pontificiis regiisque theologis in commune consultent. unde habuit nos hodie convocatos R<sup>mus</sup> dominus Feltensis<sup>4</sup> nuncius apostolicus, qui mentem domini Granvellae nobis aperuit et ad laborem nos adhortatus est. itaque conveniemus quotidie. sunt autem alii theologi undecim principum, qui colloquium habebunt cum Protestantibus. quae autem ego ad hoc colloquium pro nostris praeparavi hisce diebus, R<sup>ma</sup> D. T. alio tempore accipiet. mitto nunc libellos duos, quos novus meus impressor excudit nuper.

1) Nr. 66.

2) Georg III. von Tessingen 1536—1542.

3) Sic!

4) Tommaso Campeggi.

quoniam vero pauper est, non poterit sine aliena ope justam instruere officinam . . . commendabit eundem typographum affinem meum nomine meo San<sup>mo</sup> domino nostro papae summo pontifici Rev. dominus Robertus Scotus theologus eximius, si forte Sanctitas Sua velit ullo eleemosynae piae ac necessariae opere illum juvare. si enim unquam opus nobis fuit fideli typographo, qui nostra opuscula adversus novas haereses tum latina tum germanica excudat et in Germaniae civitates per certos bibliopolas dispergat, nunc profecto maxime opus erit ut talem habeamus, sive fiat sive non fiat ulla hic in religione concordia publica. quum intelligam igitur R<sup>mam</sup> D. T. usque adeo benignam atque propensam esse ad beneficiendum etiam de tuo aere, licet nondum sis unus de ditissimis nec esse forte desyderes, iterum supplex non jam per me, sed pro necessitate conservandae apud nos religionis confugio, ut gratiore consyderare ac circumspicere digneris quomodo posset novus noster typographus commode sine molesto gravamine juvari aliqua divitum, qui religioni catholicae consultum velint, contributione, id quod R<sup>mæ</sup> D. T. difficile fore non arbitror, si apud nullos alias cardinales et praelatos, saltem apud clementissimum dominum vicecancellarium, foelicissimum illum eruditio[n]is tuae partum et alumnū pietatis<sup>1</sup>. si objeceris, ut jure potes, quare episcopales Germanorum praelati non succurrant aut contribuant, nescio quid sine rubore queam respondere. non enim levis est verecundia de eorum negligentia conqueri. plura nunc dicere nolo . . .<sup>2</sup>.

Sed prolixior sum quam vel ad tantum virum decet vel occupationes nunc meae facile sinunt. ignoscat obsecro R<sup>ma</sup> D. T. et pie cogitet quomodo possit aliqua contributione juvari pauperculus iste novus typographus, fidelis utique et syncere catholicus, qui propter fugiendum Lutherismum Dresdae omnia sua dereliquit. si autem commode juvari debeat, opus est ut juvetur ante proximas nundinas Francfordienses, in quibus papyrus et alia necessaria coemat: hoc est ante dominicam laetare aut judica in quadragesima. id per Fuggeros aut Welseros fieri posset, qui per cambium tradituri ei essent Francfordiae in nundinis eam pecuniam quam pii ex divitibus praelatis auxiliatores tua promotione ac sancta intercessione contributuri essent.

Bene valeat R<sup>ma</sup> D. T. et sibi persuadeat me ista multo cum rubore scribere; sed zelus fidei et improba necessitas jubet hic

1) D. i. Kardinal Farnese.

2) Es folgen die uns schon bekannten Mitteilungen über den Verlust Wolrabs für die katholische Sache und die Errichtung einer Offizin in Mainz durch Franciscus Behem (den Cochlaeus hier mit Namen nennt).

perficere frontem. aliis R<sup>mis</sup> dominis cardinalibus, praesertim Contareno Sadoleti Polo, in primis pientissimo patrone et benefactori meo maximo, domino vicecancellario, nunc scribere non possum. at si commode fieri queat, obnixe oro ac supplico ut R<sup>ma</sup> D. T. dignetur meam parvitatem illis commendare ac fidelem de me operam in hoc conventu pollicere. suggestam enim fideliter non solum externis theologis, sed etiam ipsi domino de Granvella quaedam, ubicumque oportunitas dabitur, quaecunque ad rem facere videbuntur. iterum valeat R<sup>ma</sup> D. T., cui me perpetuo addico summa cum animi gratitudine.

Ex Wormacia 24 di novembris 1540.

Si forte dissolvatur iste conventus antequam respondeat mihi R<sup>ma</sup> D. T., poterunt literae mitti Nurembergam ad dominum Christophorum Scheurlium U. J. doctorem, Caesareum regiumque consiliarium, qui sciet eas certo ad me mittere ubicumque fuero; forsitan enim et Ratisponam jubebit me rex Romanorum proficiisci.

Non licuit per festinationem releggere: peto veniam erratis.

[Cedula] R<sup>me</sup> domine. posta heri non abiit; hodie autem peracta missae celebracione illustris dominus de Granvella scilicet cum episcopo Secoviensi caeterisque regis Romanorum oratoribus ac cum suo comitatu recto de majori templo ivit in praetorium, ubi praestolabantur eum domini oratores quatuor principum praesidentium. advenerunt et alii omnes utriusque partis oratores tam saeculares quam ecclesiastici, quibus in unum congregatis Caesareus orator in altiori sedens loco exhibuit primum literas de se scriptas a Caesarea Majestate ad principes et status imperii; deinde mandatum bene longum, in quo Caesar honorificentissime dat ei plenissimam agendi in causa religionis potestatem. quo perfecto publice omnibus audientibus ipse postea exorsus est orationem ad pacem et concordiam exhortatoriam, adeo sane et verbis ornatam et sententiarum pondere gravem ut per omnem vitam non audiverim ullam animo meo jucundorem. ex qua sane magnum spero fructum. adhibuit postea magnifico prandio suo et regios oratores et Hispanos theologos, vir sane summae et autoritatis et prudentiae, dignus ni fallor omnium laude favore et gratia. haec R<sup>mae</sup> D. T. minime reticenda esse duxi. iterum iterumque vale, domine clementissime.

Ex Wormacia in die s. Catherinae 1540.

**69. Cochlaeus an Cervini:** die neuen Drucke Behems. Unbilligkeit der übrigen Drucker. Stand der Dinge am Religionsgespräch; geringe Aussicht auf Einigung. Thätigkeit des Cochlaeus. Der Kaiser und der Regensburger Reichstag. Die

fünfte Philippica. Nachweis ungedruckter Autoren. Verteidigung des apostolischen Stuhls gegen die Protestanten. 1540 Dezember 14 Worms.

Aus Florenz Arch. de Stato Carte Cerviniane filza 40 nr. 2,  
eigenh. Orig., auf der Adresse: risposta a 8 di gennaro.

R<sup>me</sup> domine praesul et princeps charissime.

S. scripsi nuper ad R<sup>mam</sup> D. T. literas festinanter, quibus addebam tria exemplaria recens excusa, non quod viderentur mihi lectione R<sup>mae</sup> D. T. digna, sed ut haberem occasionem commendandi affinem meum novum typographum, qui ea impresserat opuscula. nunc ob eandem causam aliud mitto exemplar parvuli libelli, ut inde saltem, si aliae forsitan deperditae essent literae, meae, cognoscat R<sup>ma</sup> D. T. quod homo iste utiliter nobis Catholicis servire posset, si aliena ope piorum e primis extricaretur difficultatibus. officina enim ejus nondum est plene instructa; non habet adhuc satis scripturarum typographicarum. oportebit ipsum emere ab illo qui Lipsiae est affine meo; is autem cum propter debita quibus involutus est, maxime indigeat pecunia parata, non tradet (ut vereor) scripturas nisi numeratam videat pecuniam. apud nos nescio quo fatali torpore Catholici ea quae ad conservandam religionem necessaria forent negligunt; ideo ex longinquo cogimur auxilium pro hac necessitate nostra quaerere . . . nam caeteri typographi nobis neque fideliter neque libenter serviunt, etiamsi aere nostro conducantur, quemadmodum ego nuper expertus sum, quando excusa est mihi Philippica quinta, liber non magnus, pro quo exigit a me impressor florenos Rhenen. 25, licet neque correcte impresserit neque suum aut loci nomen expresserit in fronte aut calce libri, sicut exteri facere solent. justius ageret mecum hic novus typographus affinis meus, si plene instructam haberet officinam. et tantum de typographo.

Quod ad novum hoc attinet colloquium, non possum adhuc jucundi aliquid scribere, quia nimis lente festinatur. res est plena difficultatis et periculi. habemus in parte Catholicorum quosdam adjunctos qui sunt Lutherani, quidam aperte, quidam tecte: quando ii qui sunt synceri, aliquid scribunt presidentibus primo, deinde et Protestantibus (hoc est adversariis) propnendum et exhibendum, Lutherani illi, qui eis adjuncti sunt, impediunt contradicendo et parti adversae illud manifestant occulte, antequam publice exhibeatur. non est igitur mihi ulla de vera in fide et religione concordia spes aut fiducia, nisi Deus optimus maximus moverit potenter corda Protestantium ad resipiscendum, cui omnia sunt possibilia. nomina ergo eorum qui ad colloquium deputati sunt, hisce literis adjungo, ut videat R<sup>ma</sup> D. T. quanto negligentiores sunt principes nostri circa hanc rem quam sunt

adversarii. ego interea, qui ex parte Ser<sup>mi</sup> regis Romanorum hic sum et ad undecim voces non pertineo, scribo multa quae pro honore partis catholicae contra adversariorum calumnias et pro aedificatione populorum edi queant, et quantum in me est partes Catholicorum fideliter adjuvo. de Caesarea autem Majestate nondum certi sumus quando sit Ratisponam ad indictam dietam venturus. displicet Protestantibus illius edictum quod ad Flandrenses evulgavit, acerrimum sane et severissimum contra omnes sectas pro retinenda apud suos fide catholica<sup>1</sup>.

Exemplar unum Philippicae quintae tradidi hodie R<sup>mo</sup> domino magistro nostro Roberto Scoto . . . .<sup>2</sup>, qui promisit se missurum esse illud ad urbem. si igitur R<sup>mæ</sup> D. T. videre libuerit, invenietur credo in aedibus R<sup>mi</sup> et Ill<sup>mi</sup> domini cardinalis Farnesii, domini et benefactoris nostri clementissimi. ego nullum exemplar Philippicae hujus possum huic addere fasciculo, ne videar nimis invercundus ponderoso literarum fasce. addo autem breve scriptum, quod ex Germanico quodam libello uno jam pridem est excerptum, ut inde conjiciat R<sup>ma</sup> D. T. quam dura et acris nobis in Germanica lingua pugna sit cum bestia illa septicipite.

Quoniam vero R<sup>ma</sup> D. T. in literis ad me suis petit ut scribam de antiquis libris nondum impressis, certe Tritemius abbas quondam Sponheimensis permultos commemorat, quos in antiquis vedit monasteriorum s. Benedicti bibliothecis, quando et visitator circumivit per ordinis sui coenobia. Misnae et Vratislaviae nihil vidi tale, nisi quod, dum Misnae residerem, aliquot s. Chrysostomi sermones Innocentiumque papam III de missa atque Isidorum de divinis officiis in lucem dedi. conscripseram quidem diligenter quatuor libros Amalarii archiepiscopi olim Treverensis sub Carolo Magno de divinis officiis et duos libros de regula canonicorum, quae sub Ludovico imperatore Caroli filio in Aquisgrano facta fuit; sed dum e Dresdena Misnam emigrarem, scelerato furto hosce thesauros amisi et cum eis duos insuper libros de vita s. Bennonis episcopi olim Misnensis, in quibus multae erant epistolae antiquae Gregorii septimi papae et Henrici quarti imperatoris. libri Amalarii possent recuperari ex bibliotheca s. Stephani Moguntiae; de ceteris nescio quid sperem. de his autem quae olim, dum Maguntiae habitarem, in bibliotheca majoris ecclesiae vidi, mitto nunc summarium quoddam<sup>3</sup>, si sit forsitan in eo aliquid quod R<sup>mæ</sup> D. T. placere queat, quam et diutissime et foelicissime valere precor. Bittet, ihn den Kardinälen Farnese Contarini

1) Edikt vom 4. Oktober 1540, vgl. Henne, Histoire du règne de Charles-Quint en Belgique, T. IX, p. 10.

2) Die folgenden Worte geben keinen Sinn: et foris caero (?), licet intus multa videntur (?).

3) Liegt nicht mehr bei.

Sadolet und Pole zu empfehlen, et si non videbitur indecorum, velim et San<sup>mo</sup> D. N. papae meas dici preces et fidelia studia atque obsequia, qualia decet prestare obedientem sanctae matris ecclesiae filium vero et summo ovium Christi pastori. certe hisce diebus, dum apud me ipsum domi excuterem septimum confessionis et apologiae lutheranae articulum, acri disputatione ostendi illorum impudentiam, qui catholicae ecclesiae nomen sedi apostolicae detrahere et sibi arrogare praesumunt, et probavi ex ea quaestione totius dissidii hujus scopum summamque pendere. sed prolixior sum quam me decet; ignoscat obsecro pietas tua. caetera quae Hageniae promisi, alia vice missurus sum; nunc enim nec decet me addere magnum aut gravem fasciculum.

Ex Wormacia 19 kal. januarias 1540.

**70. Cochlaeus an Morone:** wartet in Mainz auf Gelegenheit nach Regensburg zu gehen. Ein Vorschlag Hoefilters zur Versorgung seines Gehilfen Johannes Gunter. 1541 Februar 6 S. Victor bei Mainz.

Aus Mailand cod. Ambros. O 230 sup. fol. 141, eigenh. Orig.

R<sup>me</sup> domine praeſul et patrone pientissime.

S. quamquam hic sum apud nepotem<sup>1</sup>, video tamen mihi met ipsi exul, cum non habeam hic fixam sedem et animus magis deſyderet esse apud R<sup>mam</sup> D. T.; sed quid faciam? Caesarea Ma- jestas haeret Spirae aut Heydelbergae et nix omnes vias obſidet et invias reddit et amici prohibent ne abeam sine comitatu. conſiliarii Moguntini abibunt quam primum intellexerint abeundum esse; obſervant enim Caesareae Majestatis iter. volunt ut in eorum abeam societate. terrent me practerea graves Ratisponae expensae; mira enim ferunt de omnium rerum gravi precio. subſiſto igitur hic, licet incertus sim quando sit abeundum. certe pro nulla commoditate mea vellem tardius venire Ratisponam quam oportet; at non video quid a me utiliter fieri ibi queat aut a quovis alio in publico religionis negocio absente Caesare. hic interim per typographum saltem aliquid agam circa septimum (qui de ecclesia est) confessionis articulum, in quo totius controverſiae scopus consistit. rogo igitur suppliciter ut R<sup>ma</sup> D. V. has morae causas dignetur aequi bonique facere. per me profecto non stat, alii sic volunt.

1) Gemeint ist der in Nr. 28 erwähnte Johann Bauer (Agricola), dem Cochlaeus (im Jahre 1535) sein Kanonikat zu S. Victor in Mainz cedierte (was er in einem der nicht abgedruckten Abschnitte von Nr. 68 erwähnt). Dieser Neffe war es auch, der, wie die voraufgehenden Briefe berühren, der Familie Behems anfangs Unterkunft gewährt hatte.

D. Jodocus Hoetfilter cupit puero meo bene consulere et ostendit hanc viam: dominus Georgius Bulman, familiaris R. D. doctoris Nauseae coadjutoris Vienensis, habet hic vicariam in ecclesia s. Victoris, super quam citatus Romam dicitur. de qua hactenus per 5 annos in absentia nihil habuit. quod si R<sup>ma</sup> D. V. per casualem aliquam vacantiam posset dicto Bulmano providere in terris Austriae Bohemiae aut Bavariae, unde aliquid in absentia percipere posset, facile persuaderi posset ut pueromeo Johanni Gunter clero Misnensis dioc. resignaret hanc vicariam. in ejus domo habitat nunc avunculus ejus, typographus affinis meus. id si fieret, vellet d. Jodocus agere cum adversario Bulmanni, ut ille quoque cederet de jure suo et sic piissime foret hac una re provisum non solum puer pauperi et avunculo ejus typographo, qui sic certam haberet domum vicariae, sed etiam domino Bulmanno, qui liberaretur a vexatione litis et non nihil emolumenti aliunde perciperet. dignetur quaeso R<sup>ma</sup> D. V. hujus rei in secreto memor esse. mitto catalogum, qui in 4 versiculis de domino decano Moguntino est a me mutatus, quia alii videbantur illum laedere. bene valeat R<sup>ma</sup> D. V. cum omnibus suis, quos merito amo ob suam erga me benevolentiam.

Ex monte S. Victoris prope Moguntiam 6 die februarii 1541.

Saluto reverenter commensales R<sup>me</sup> D. V., d. praepositum Tridentinum, d. Albertum Pighium etc.

**71. Cochlaeus an Pietro Paolo Vergerio, Bischof von Capodistria:** empfiehlt ihm dringend, seine auf dem Religionsgespräch gehaltene Rede drucken zu lassen<sup>1</sup>. 1541 März 13 Regensburg.

Aus Venedig cod. Marc. lat. cl. IX, nr. 66 fol. 106, eigenh. Orig.

R<sup>me</sup> domine praeſul, eloquentia et eruditione ornatissime.

S. non leviter doluit mihi abiisse R<sup>mam</sup> D. T. Wormacia nuper absque editione tuae ad eruditos utriusque partis homines scriptae orationis<sup>2</sup>, qua tam pie atque prudenter eos ad reparandam in fide et religione concordiam adhortari visus es. non enim parum momenti ac ponderis afferre nunc Ratisponensi de concordia

1) Dieser Brief war bestellte Ware, s. Nr. 72.

2) Petrus Paulus Vergerius episcopus Justinopolis ad oratores et theologos principum et statuum Germaniae qui Vormatiae convenerunt, de unitate et pace ecclesiae, Rede, gehalten (?) am 1. Januar 1541. Sie kam 1542 zu Venedig im Druck heraus; auch gedruckt bei Lämmer, Mon. Vat., p. 312 sqq., nr. 193.

tractatui, si tot rationibus tam dextre ac ordinate velut in aciem productis animi colloquentium et ad pacem componendam benignitate placida invitarentur et ab ulteriori contentione periculorum enumeratione deterrerentur. quod igitur neglectum est Wormaciae ex necessitate forsan inopinatae abitionis aut ex impedimentis (quae varia contingere solent) peregrinationis, resartiarunt quaeso primo quoque tempore domi et in patria, ut si forte hic non poterunt plene ad veram concordiam emolliri aut trahi dissidentium animi, oratio tua ultimum foeliciter superaddat colophonem. nihil enim potest esse hoc tempore aut salubrius aut magis necessarium quam piis persuasionibus absque armorum vi atque tumultu sublatis e medio dissidiis ecclesiae unitatem redintegrare, ut conjunctis antiqua charitate animis et adunatis copiarum viribus, placatum habentes Deum, Christiani nominis hostibus truelentissimis non solum resistere, sed etiam jugum imponere valeamus. rumpat igitur R. D. Tua omnem precor edendi moram, ut absens corpore spiritu et oratione praesens salutaris concordiae promoveas tractatum. hic enim nondum agi coepit est; quare in tempore tua nobis succurrere poterit oratio, si nullam in edendo patiatur moram. bene valeat R. D. Tua, cui parvitatem meam devote commendo.

Ex Ratispona 3 idus martii 1541.

**72. Cochlaeus an Vergerio:** bedauert, diesen in Regensburg nicht mehr vorgefunden zu haben. Schickt den gewünschten Brief über die Wormser Rede des Vergerio sowie einige Schriften. Teuerung in Regensburg. 1541 März 13 Regensburg.

Aus Venedig cod. Ambros. lat. cl. IX nr. 66 fol. 107, eigenh.  
Orig.

S. P. R<sup>me</sup> domine. gratissimum mihi sane fuit reperisse hic famulum tuum, qui mihi indicavit quae jusserris. dolui tamen non mediocriter neglexisse tam parvo intervallo R<sup>mae</sup> D. T. praesentiam. veni enim hic quinta die martii<sup>1</sup>, quum jam jam paulo ante Tua R. D. hinc abierat. pergratuum vero mihi est R. D. Tuam esse adhuc memorem eorum quae Wormaciae inter te et me ultronea gratia et benignitate sancte promisisti. quod autem jussisti ut epistolio aliquo commendarem orationem tuam, ego certe is non sum qui tuis scriptis tam ornate ac sapienter et elegantibus verbis et gravibus sententiis compositis aliquid orna-

1) Ein Schreiben des Cochlaeus vom 6. März an Nausea in dessen *Epiſtolae*, p. 299sq.; vgl. daselbst die ferneren Briefe des Cochlaeus aus Regensburg vom April bis Juli (p. 303sq. 310. 311sq. 317. 320sq.).

menti aut commendationis afferre queam. ne tamen jussis tuis contumax videar, mitto epistolam qualemcumque, ex qua lector intelligat editionem a te magnopere efflagitari. talis enim commendatio plus ponderis et fidei habere solet quam blandiloqua laudis commemorationis. boni precor consule, nam bona intentione scripta est.

Addo nonnihil libellorum, ne suspicetur R. D. Tua me interea otiose in utramque aurem dormivisse. novi nihil habeo quod non melius sciat tuus referre famulus quam ego scribere. omnia hic care venduntur et ego nondum scio quis mihi famulisque et equis meis sumptus sit praebiturus. vereor itaque propriis mihi hic militandum esse stipendiis.

Bene valeat R<sup>ma</sup> D. T., cui me unice commendo. siquid rescribere voles, mitte literas ad me tuas ad aedes R<sup>mi</sup> domini episcopi Mutinensis nuncii apostolici, qui sciet ubi ego sim.

Ex Ratispona die 13 martii 1541.

**73. Cochlaeus an Cervini:** hat dessen Geldgeschenk erhalten. Eröffnung des Reichstages. Fernbleiben der Protestanten von der voraufgehenden Messe. Schriftstellerische Thätigkeit. Vom König entlassen bleibt Cochlaeus auf Wunsch Contarinis und Morones. Die Theologen der Gegenpartei (Bucer, Calvin). Finanzielle Verlegenheiten. Unterstützung Behems. 1541 April 5 Regensburg.

Aus Florenz Arch. di Stato Carte Cerviniane filza 40, nr. 8, eigenh. Orig.; auf der Adresse der Vermerk: *resposta a 26 di maggio.*

R<sup>me</sup> domine patrone beneficentissime.

S. quod jam diu nullas ad R<sup>mam</sup> D. T. literas dedi, negotiorum fecit suspensio. nondum receperam magnificaे liberalitatis tuae donum, quod in Germanica legatione tua clementissime ordinaveras mihi; recepi autem nuper Nurenbergae summa cum laetitia et debita gratiarum actione. et hic nihil hactenus effectum est quo de posset digne ad R<sup>mam</sup> D. T. scribi. hodie primum processit hic in publicum Caesar ad inchoandum cum principibus ac statibus imperii tractatum, celebrata prius missa de sancto spiritu in majori ecclesia. cui et alii principes catholici una cum R<sup>mo</sup> domino cardinale Contareno legato etc., viro sane incomparabili assummae bonitatis pariter ac eruditionis, aliisque episopis et praelatis interfuerunt. caeterum ex Protestantibus, hoc est Lutheranis, nemo interesse dignatus est. haec itaque eorum contumacia non est boni (me judice) auspicii signum, quia Augustae, etsi in processione ac deportatione venerabilis sacramenti in festo corporis Christi Caesarem comitari nollent, solemni tamen missae de spiritu sancto, quando publici tractatus imperii inchoandi erant,

interfuerunt atque etiam more aliorum oblationem ad altare deportaverunt. spero tamen hanc eorum temeritatem Caesaris et legati sapientia ac bonitate in melius correctum iri. verum tamen magis timeo ne illi inimici indulgentia in dies deteriores ac ferociores fiant. (quid ego desyderem, R<sup>ma</sup> D. T. adjuncti libelli prefatione facile intelliget<sup>1</sup>.) vereor equidem, si colloquium continuari debeat ad eum modum quo Wormaciae nuper inchoatum fuerat, nimis longum fore tempus antequam finiatur. // edidi igitur eundem libellum germanice quoque; scio enim nostris Germanis longam in conventibus imperialibus moram perquam gravem et molestam esse. interea tamen dum meis sumptibus e Wormacia hoc venio et hic initium rei expecto, datur mihi a Ser<sup>mo</sup> rege Romanorum etc. licentia redeundi domum, et non mihi solum, sed etiam aliis duobus collegis meis, e quibus Rev. dominus episcopus Secoviensis ante biduum abiit navigio per Danubium versus Vienam, alter paulo post abiturus ascendet contra Danubium versus Friburgum Brisgoiae. ego ad tempus remanebo juxta consilium et voluntatem R<sup>mi</sup> domini legati et episcopi Mutinensis nuncii apostolici. evulgavi item breve apostolicum et exhortationem R<sup>mi</sup> domini Feltrensis, ut inde cognoscant nostri Germani paternum erga se animum summi pontificis San<sup>mi</sup> domini nostri, et intelligo jam eam editionem plurimis pergratam esse; nam ultra 200 exemplaria huc attuli et praeter hoc unum, quod nunc mitto, nullum hic remansit reliquum.

De theologorum colloquio nihil adhuc certi scribere possum, nisi quod ex parte Catholicorum perpauci adhuc praesentes sunt. dominus Joannes Eckius nondum advenit, hodie tamen aut eras huc venturus. ex parte adversa nondum vidi multos. vidi Bucerum et Calvinum, quos et semel allocutus sum familiariter, cumque eos de periculo animarum propter schisma pereuntium admonerem, ingemuit Calvinus et negare non potuit. adest etiam Philippus Melanchthon et nonnulli alii, quos nondum vidi. faciam equidem libenter omnia quaecunque a parvitate mea pro unitate ecclesiae et pro jure ac honore sedis apostolicae fieri aut praestari queant. // propriis tamen sumptibus diu sic persistere non potero: oportunissime quidem reservavi donum tuum usque ad hoc tempus, sed ne illud quidem in longum sufficere poterit. quod autem Wormaciae recepi ex liberalitate R<sup>mi</sup> et Ill<sup>mi</sup> domini cardinalis Farnesii vicecancellarii etc., domini mei clementissimi, hoc totum contuli in subsidium novi typographi Moguntiae affinis mei, qui et hosce libellos excudit; immo etiam plus superaddidi

1) Es ist wohl die Schrift des Cochlaeus gemeint: De vera Christi ecclesia quaestio necessaria ad Caes. Maj., ut Ratisponae in conventu imperiali discutiatur (s. Widmann S. 72 f., Nr. 3).

ex eo quod a Ser<sup>mo</sup> rege Romanorum in sumptus acceperam, quia video et illum maxime indigere pecuniis et vicissim nos Catholicos illius indigere opera et officina. haec autem non ad hoc scribo ut aliquid amplius a R<sup>ma</sup> D. T. petam, sed ut intelligat R<sup>ma</sup> D. T. me dono tuo liberalissimo non abusum esse neque etiam donum amplissimi ac illustrissimi domini cardinalis Farnesii male collocasse.

Bittet, ihn dem Papste und Kardinal Farnese zu empfehlen.  
Ex Ratispona nonis aprilis anno domini 1541.

**74. Cochlaeus an Cervini:** Dank für einen Brief. Lage der Dinge am Reichstag. Unterhaltung des Cochlaeus durch die Päpstlichen. Absicht, seinen Wohnsitz in Würzburg zu nehmen, um der Kirche besser zu dienen. Falsche Langmut gegenüber den Protestantten. 1541 Juni 15 Regensburg.

Aus Bibl. Vat. cod. Regin. 2023 fol. 107, eigenh. Orig.

R<sup>me</sup> in Christo pater ac praesul, domine clementissime.

S. literas R<sup>mae</sup> Dominationis Tuae datas Romae 7 calend. junii recepi hic 5 idus junias cum debita sane et reverentia et gratiarum actione. quia etsi me longe indignorem existimo atque agnosco quam ut debeat mihi R<sup>ma</sup> D. T. ad illas respondere literas, multo tamen perfunditur mens mea gaudio quoties a magnis viris, praesertim vero a R<sup>mo</sup> et Ill<sup>mo</sup> domino cardinale Farnesio vicecancellario etc. et a R<sup>ma</sup> D. T., tam propensa et clementi in me voluntate ac beneficentia quamlibet etiam breves recipio literas, quia semper aliquid consolationis afferunt nobis hic in gravibus animi curis taediisque et molestiis per adversariorum improbitates constitutis!

Ecce quot jam mensibus protracta fuerunt colloquia de religione, quae a multis parum religiose habita sunt. ego corda non judico; certe exterior apparatus actusque et affectus non talis mihi visus est qualem res tanti momenti desyderabat. sed de iis scribent alii, quibus omnia sunt cercius quam mihi comperta. ¶ ego privatus hic ago. rex enim Romanorum dominus meus clementissimus jam pridem ante menses aliquot dedit mihi caeterisque collegis meis, quos Wormaciam proficiisci jusserrat, domum redeundi licentiam. sic et domum omnes redierunt jam dudum praeter me, qui etsi domi per absentiam multa interim negligo, tamen hic clementissime foveor a R<sup>mis</sup> dominis cardinale legato et episcopo Mutinensi nuncio apostolico, qui mihi (R<sup>ma</sup> Dominatione Tuae clementer procurante) commissione R<sup>mi</sup> et Ill<sup>mi</sup> domini cardinalis Farnesii bis jam dum hic fui in sumptus quotidanos pro equis et famulis meis pecuniam numeraverunt, primum 40, deinde 50 scuta italica. non habeo igitur ullam de impensis conquerendi causam aut necessitatem. Deo sint gratiae et sedi apostolicae! contristat me multorum improbitas et fraudulentia, qui causam

fidei et pietatis atque religionis neque fideliter neque pie neque religiose tractant. cogito igitur posthac aliis rationibus ecclesiae negotium pro modulo paucitatis meae tractare atque ut id commodius facere queam, intendo dimittere canonicatum meum Vratislaviensem atque Herbipolim migrare<sup>1</sup>, eo quod Vratislaviae multae mihi desunt oportunitates ad fructificandum adversariisque residendum, quas mihi Herbipoli non ita defuturas esse spero. qua de re scribam aliquando apertius, ubi ullum sensero fructum. nunc unum vere affirmaverim me semper desyderasse ut colloquia hujusmodi non haberentur, et ubi omnino habenda erant, admonuisse ut ante omnia tractaretur cum adversariis super quodam scripto suo quod Smalcaldiae anno superiore concionatores eorum omnibus confoederatis illis publice obtulisse dicebantur<sup>2</sup>. sed visum est plaeisque consilium illud meum importunum, quia leniter agendum esset cum illis, ut animi eorum ad concordiam paratiores redderentur. bona certe et pia erat haec eorum intentio, sed malignitas et fraudulentia pertinaxque propagandae haereseos studium et superba eruditiois praesumptio ex parte adversariorum non erat omnibus nota et perspicua. ego qui iam 20 annis multa ab iis perpessus et expertus fueram, non potui fraudulentis eorum blandiciis et promissis fidem habere aut spem certam concordiae concipere. spero tamen adhuc Caesarem et R<sup>mum</sup> dominum legatum viam aliquam bonam inventuros esse, qua mendacibus adversariorum jactantiis et gloriationibus efficaciter obvietur. bene vale R<sup>ma</sup> D. T., domine clementissime, cui me perpetuo debitorem obstrictum esse nunquam negabo.

Ex Ratispona 15 die junii 1541.

**75. Cochlaeus an Contarini:** Plan der Herausgabe alter Autoren. Lutherische Prediger in Breslau. Bedrängnisse der katholischen Geistlichkeit daselbst, besonders des Domkapitels. Katholische Drucker. Cochlaeus ersehnt eine Pfründe im oberen Deutschland. Gerücht vom Tode des Papstes. Venedigs Jungfräulichkeit und Cassiodor. Verbreitung von Ablässen. Morone. Beziehungen zu den Jesuiten. 1542 Februar 23 Breslau.

Aus Arch. Vat. Arm. 62 vol. 37 fol. 165. 166 eigenh. Orig.

R<sup>me</sup> domine, patrone omnium benignissime.

S. memor pii ac salubris mandati R<sup>mae</sup> D. T., quod Ratis-

1) Über diesen Vorsatz und wie derselbe scheiterte, ist zu sehen des Cochlaeus Brief an Nausea vom 22. Juli 1546 I. l. 320 sq.

2) Von dieser Schrift, einer augenscheinlichen Fälschung, ist in der Depesche Morones vom 5. Dezember 1540, aus Worms, die Rede. Ranke, Deutsche Geschichte VI<sup>6</sup> (Analekten), S. 170.

ponae discessura mihi dabas, nihil ex novellis nostris aduersus nostri temporis haereticos contentiosis scriptis edidi, expectans indicem aliquem veterum autorum quos edi potius vellet R<sup>ma</sup> D. T., atque hac de re scripsi literas hic, per quas ejus rei memoriam R<sup>mae</sup> D. T. suggererem. sed nescio an meae sint redditae litterae nec ne<sup>1</sup>. ubi autem e Ratispona huc reversus sum, reperi tres libellos hic editos a quodam Lutherano, theologo Wirtenbergensi, qui absque sacrorum ordinum susceptione pastorealem sibi usurpat curam in hac urbe Vratislaviensi, in celebri ecclesia parochiali s. Elizabeth, habens uxorem et liberos multos, quemadmodum et socius ejus d. Joannes Hessus, qui rite consecratus sacerdos jam ultra 15 annos regit pastoralem ecclesiam s. Mariae Magdalena, factus in sacerdotio digamus; habet enim liberos ex duabus uxoribus, ducturus forsitan et tertiam. hic eloquio, alter stilo magis pollet. traxerunt universam prope modum civitatem in Lutheri sectam, et omnia posse videntur tum apud senatum, tum apud plebem. clamitant in concionibus suis frequentissime aduersus clerum catholicum, qui adhuc superest tum in hac insula extra urbis moenia, tum in quibusdam monasteriis intra urbem. parum itaque abfuit, ut non effecerint quod sub pretextu belli a Turcis nobis imminentis tota haec insula (quam proxime civitatem Odera fluvius circumfluit) fuerit populari tumultu direpta funditusque devastata in templis simul et sacerdotum domibus expilandis atque diruendis. coegit nos senatus inchoare aedificationem mense novembri, quando brevissimi sunt dies, immo misit operarios quantos voluit, quibus nos oportebat mercedem persolvere. postquam vero glacies pontem sublicium, per quem advehebatur terra ad amplam et altam aream (in qua grandiores bombardae locum haberent) aggerandam, dissolvit et abstulit, ut operariis non esset amplius operandi locus, repente immissi sunt alii, qui in profecto atque etiam in ipso festo conceptionis Mariae virginis in hortis nostris, quos ad ripam Oderae satis amoenos habebamus, omnes arbores pomiferas succiderunt, eo sane praetextu quod impedirent prospectum architecti, qui metiri deberet munitionum erigendarum loca distantiasque. haec ubi vidimus, majorem adhuc vim praevenire volentes insinuavimus senatui salvum conductum, quem paulo ante a piissimo et serenissimo rege nostro Ferdinando impetraveramus. quo sane insinuato cessatum est a vi ulteriore, qua in templo et aedes nostras grassaturi erant. rex Pragae constitutus eam vim et insolentiam indigne tulit, quae et statibus coronae Bohemiae valde displicuit. missi sunt proinde commissarii una cum architecto regio, qui hoc munitionis negocium componentes aliquanto tolerabiliorem nobis

1) Dieser Brief hat sich anscheinend nicht erhalten.

eam fecere necessitatem. nondum sumus tamen satis securi, timentes impensarum onus nobis prorsus importabile futurum. aliunde enim advehenda est terra, qua in vallum longum et munitionum areas rotundas aggeres fiant, et ad utrumque latus insulae contra fluminis impetum in ripa aedificandum est munitionum et valli fermentum.

In hac perturbatione et periculorum metu unum scripsi librum, quo ad tres supradicti adversarii nostri libellos respondi, et quidem modeste, citra convicia. sed non est consultum nunc edere neque liceret hujus urbis typographo pro religione catholica hic quicquam excudere. ad eam, proh dolor, angustiam devenimus nos Catholici ut in universa Germania vix tres aut quatuor urbes nobis supersint in quibus typographos habere possimus, nempe Vienna, Ingolstadium, Moguntia et Colonia. Lipsiam morte ducis Georgii fel. rec. perdidimus, ubi satis commodum mihi paraveram chalcographum, qui nunc Lutheranus esse cogitur. transmisi igitur alium Moguntiam, cui primum despontavi neptem; is mihi excudet pia veterum opuscula quae R<sup>ma</sup> D. T. indicaverit mihi. quoniam vero novus adhuc et pauper est, indiget in onus impensarum aliena ope. ea autem collatio Heribopolensis, quam R<sup>ma</sup> D. T. pro me Ratisponae disposita, in irritum cecidit, quia falso nunciata fuerat mors possessoris. cum igitur nullum habeam beneficium in Germania superiore, crediderim non impie facturam esse R<sup>mam</sup> D. T., si mihi a sede apostolica impetraret vel cononicatum vel pensionem aliquam Spirae, Wormatiae, Maguntiae aut Coloniae, ubi propinquior essem typographis, sicut et Heriboli propinquus esse possem, si mihi ulla ibi esset residentia. nullum adhuc reddidit ad literas meas responsum Rev. d. abbas Kempensis. Rev. et generosus dominus Otto Truchses, cantor Spirensis, Ratisponae benigne promittebat mihi de aliqua Spirae providenda residentia, sed interim nihil ad me scripsit . . .

Empfiehlt sich den Kardinälen Farnese, Cervini, Sadolet, Pole und Aleander, grüßt ex honestissima familia R<sup>mæ</sup> D. T. inclytos nobiles atque doctissimos viros d. Ludovicum Beccatellum, d. Hieronymum Nigrum, d. Philippum Gerium, d. Tryphonum Bentium, sacellanos item et camerarios.

Ex Vratislavia die 23 februarii anno domini 1542.

R<sup>me</sup> domine .... vulgaris est fama et in Slesia et in Misnia, summum pontificem Paulum III fato (quod absit) concessisse. quod si ita est, precor animae ejus laetas in requie aeterna sedes et sedi apostolicae foelicem praesulem, qui fidelem se praebat (ut ille fecit) ecclesiae catholicae pastorem et inter monarchos affectuum moderatorem <sup>1</sup>.

1) Dies auf einem kleinen Zettel, der zwischen foll. 165. 166 eingeklebt ist; das folgende auf fol. 166.

R<sup>me</sup> domine, memini magnificum ac generosum dominum Mari-  
num Justinianum dixisse mihi Hageniae, dum oratorem patriæ  
ageret apud regem nostrum, rempublicam Venetorum virginem  
perpetuo mansisse, ita videlicet ut neque ulli unquam imperio  
fuerit subjecta, sed semper libera, neque ulli succubuerit haeresi,  
sed semper in fide catholica permanserit. id quod mihi jucun-  
dissimum sane auditu fuit. de priore tamen ejus virginitate  
dubitare me non nihil faciunt epistolae Cassiodori (quas 12 libris  
complexus est de republica Ostrogothorum tractans), ubi declarat  
quam late imperaverit rex Theodericus per omnem non solum  
Italiam, sed et Dalmatiam Istriamque et Syrniensem Pannoniam.  
quem et Venetorum incunabulis imperitasse suspicor præsertim  
ex ea epistula quae sub finem libri duodecimi sic incipit: data  
pridem<sup>1</sup>. si fallor, poterit me R<sup>mae</sup> D. T. uno verbo ab eo errore  
clementer abducere. caeterum 12 libros historiarum Cassiodori  
adhuc nunquam videre potui.

Exemplar indulgentiarum manu R<sup>mae</sup> D. T. subscriptum com-  
municavi et hic et in nonnullis aliis urbibus multis bonis hominibus  
catholicis, qui juxta tenorem bullæ jejunantes et orantes atque  
facta confessione peccatorum communicantes fecerunt se participes  
tantarum summi pontificis indulgentiarum. hoc scribo, ut sciat  
R<sup>ma</sup> D. T. se tot bonorum operum ut causam sua subscriptione  
dedit, ita et participem se fecisse.

De R. D. Joanne Morono episcopo Mutinensi et nuncio apo-  
stolico vehementer sum sollicitus, ne forte in Caesaris comitatu  
per naufragium aliquid (quod Deus clementer avertat) passus sit<sup>2</sup>.  
vellem igitur quam libentissime de ipso certior fieri.

Novit procul dubio R<sup>mae</sup> D. T. pios et religiosos illos viros  
Ignatium de Loyola, Petrum Fabri<sup>3</sup> et similis instituti conso-  
dales, quibus ut propter diversa pietatis suae merita plurimum  
debere me fateor, ita et absentes pio prosequor venerabundus  
amore, et instituti prosperum multo cum bonarum operationum  
fructu augurium precor et opto.

1) Cassiodorii Variae (ed. Mommsen, Mon. Germ. hist. Auctt. antiquiss. vol. 12) lib. XII, nr. 24 (p. 379sq.).

2) Diese Besorgnis des Cochlaeus war gänzlich unbegründet, da Morone den Kaiser nicht über Italien hinaus begleitet hatte. Damals befand er sich bereits auf einer neuen Mission am Reichstag zu Speier.

3) Der Jesuit Pedro Fabro wohnte dem Religionsgespräch zu Worms und dem Regensburger Reichstag bei; Cochlaeus kannte ihn also persönlich. Vgl. Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro I. Bilbao 1894.

**76. Cochlaeus an Farnese:** seine beiden Kanonikate in Breslau. Übersiedlung nach Eichstätt. Ein katholischer Drucker in Ingolstadt. Schriften. 1543 August 23 Eichstätt.

Aus Neapel Gr. Archivio Carte Farnes. fasc. 687, eigenh. Orig.

Ne forte putet R<sup>ma</sup> et Ill<sup>ma</sup> Amplitudo Tua me vel obiisse jamdudum, vel immemorem (quod absit) esse beneficii quo me beavit Celsitudo Tua, quando super prepositura Herbipolense assignavit mihi clementissime centum florenos in annum pensionem, scribendum duxi breviter quidnam sit modo institutum meum. etenim quum Vratislavie duo possiderem sacerdotia, unum ex collatione Ser<sup>mi</sup> regis Romanorum et alterum ex vocatione ultronea venerabilis capituli cathedralis ecclesiae, posteaquam certior factus sum de obitu doctissimorum hominum domini Joannis Eckii<sup>1</sup> et domini Alberti Pighii<sup>2</sup>, reliqui Vratislaviam, ubi typographum habere non poteram, et migravi huc pia vocatione ac provisione R<sup>mi</sup> domini episcopi Eystetensis<sup>3</sup>, ubi typographum habeo vicinum Ingolstadii<sup>4</sup>, qui certe Augustam ad Zwinglianos redditurus erat (ubi et antea habitavit), nisi personaliter ad eum venissem; mortuo enim domino Eckio nemo ad imprimendum ei dabat. ego itaque mox tradidi ei libellos duos, unum latinum, alterum teuthonicum, ut in proximo mercatu autumnali evulgaret Francfordie; subministravi quoque non solum impensas pro ntroque, verum etiam pro papyro ampliore ad reliqua opuscula, quam Francfordie comparaturus est. latinum itaque nunc mitto ad R<sup>mam</sup> et Ill<sup>mam</sup> Celsitudinem Tuam, princeps florentissime; ex cuius ultimo saltem capitulo cognosci queat qualis sit erga sedem apostolicam fidelitas mea et hereticorum impudentia. addo et alium libellum parvulum, quem congratulandi gratia olim edidi per alium typographum mihi affinem . . .

Ex civitate Eystet die 23 augusti anno domini 1543.

**77. Cochlaeus an Cervini:** die Ketzer im Kölnischen; der Brief des Kaisers. Eingreifen des Cochlaeus. Übersiedlung nach Eichstätt; finanzielle Lage. Die Kurtisanen als Pfründenräuber. 1543 Oktober 29 Eichstätt.

Aus Bibl. Vat. Cod. Regin. 2023 fol. 105, eigenh. Orig.

1) gest. 10. Februar 1543.

2) gest. 26. Dezember 1542.

3) Vgl. hierzu die Historia de actis et scriptis zum Jahre 1543, wo Cochlaeus auch erwähnt, dass er die gegen Bullinger gerichtete Schrift De canonicae scripturae et catholicae ecclesiae autoritate in diesem Jahre habe zu Ingolstadt drucken lassen. Das Nähere siehe bei Krafft, Heinrich Bullinger.

4) Alexander Weissenhorn, seit 1539 in Ingolstadt etabliert. Vgl. Steiff in Allgem. Deutscher Biogr., Bd. XLI, S. 609.

R<sup>me</sup> domine, patrone pauperum indulgentissime.

S. scripsi nuper ad R<sup>mam</sup> D. Tuam atque etiam ad R<sup>mum</sup> et Ill<sup>mum</sup> principem ac dominum dominum Alexandrum Farnesium cardinalalem etc. atque etiam ad R<sup>mum</sup> dominum cardinalem Mutinensem<sup>1</sup>; addidi libellum recens editum, an vero quidpiam eorum quae misi istuc pervenerit, nondum intellexi, tametsi per bancum Fuggerorum misi. caeterum de civitate Coloniensi istis duobus mensibus vehementer anxius et sollicitus fui, ne forte succumberet dolis haereticorum; sed ab iisce curis levavit me nuper evulgata Caesaris nostri ad Coloniensem senatum epistola<sup>2</sup> ejusque epistolae promulgatio per senatum ad plebem facta et ei adjecta senatus sententia, qua cunctis interdicitur civibus ne quis eorum audiat neve hospitio recipiat novos praedicatorum neve summo pontifici aut Caesari ullive episcopo aut principi obloquatur etc. quoniam vero Philippus Melanthon, dum apud archiepiscopum Coloniensem esset Bonnae, aeditit responsum contra judicium cleri et universitatis Coloniensis, ego mox quintam in eum Philippicam rursus emisi et nunc sexta excuditur per Colonienses<sup>3</sup>. mitto autem ad R<sup>mam</sup> D. T. nunc epistolam dumtaxat praeliminarem, ex qua intelligatur a piis levitas et impium facinus illius archiepiscopi, qui profecto mea sententia longe dignior esset depositione quam fuit olim unus ex praedececessoribus ejus, quem depositum Nicolaus papa I<sup>4</sup>. sed turbulentiora forsitan sunt haec tempora quam ut talem justum rigorem ferre queant.

Scripsi nuper me fere solum adhuc superesse ex omnibus Germanis qui supra 20 annos adversus novas decertaverunt haereses, et reliquisse hac aestate ultro duas praebendas Vratislaviae, utpote post obitum doctissimorum virorum Eckii et Pighii fel. re. meo fungerer adversus ecclesiae ac sedis apostolicae hostes officio. coepito itaque negocio nullis parco laboribus et impensis etiam ultra senectae et facultatum mearum vires. interim ex omnibus Germaniae praelatis nemo vel unum confert obulum in subsidium, nisi quod R<sup>mus</sup> dominus et patronus mens episcopus Eystetensis contulit mihi unum ex sacerdotiis choi s. Wilibaldi, qui retro est in ecclesia cathedrali, unde honeste pro frugalitate mea vivere queam, quantum ad privatas attinet necessitates. ad publicarum autem impensarum onera ferenda nihil hactenus a sede apostolica consecutus sum nisi unam super praepositura Heripolensi pensionem 100 flo., idque solius R<sup>mi</sup> et Ill<sup>mi</sup> domini cardinalis Farnesii pietate ac beneficentia. meis autem commili-

1) D. i. Morone, der im Jahre 1542 den Purpur erlangt hatte.

2) Vgl. Varrentrapp, Hermann v. Wied, S. 211 Anm. 2.

3) Vgl. Ges. S. 51f.

4) Erzbischof Günther, abgesetzt 864.

tonibus pie jam defunctis domino Fabro, domino Eckio, domino Pighio etc. longe majora concessit sedes apostolica; quae et mihi sub hoc optimo pontifice majora concesserat, si non curtisanorum fraudibus mihi praerepta essent. jam enim multis annis possiderem praeposituram s. Severini Coloniensis<sup>1</sup> . . . . , nisi fraude quadam Germani curtiani fuisset intercepta mihi . . . . , qui et nunc rurus nocere incipit, eripiens mihi pensionem parvulam 25 flo., quam vir optimus doctissimus ac sanctissimus cardinalis Contarenus a sede apostolica ultro, non rogatus a me, impetraverat mihi. scribebat ad me vir optimus dum viveret<sup>2</sup>, dominum Carolum Phanensem habere jus meum. at ille mihi nunquam rescrispsit. nunc post obitum illius eripitur mihi jus illud fraude curtisani, qui probe scit me nec velle nec posse litigare Romae pro ullo beneficio<sup>3</sup>. Bittet, ihm zuhilfe zu kommen aliqua pensiuncula certa, quam curtisanus nullus ausit aut queat mihi intervertere aut eripere. Ersucht um Empfehlung an Kardinal Farnese, cui ex historiis nonnihil nuncupare intendo, ubi ab haereticis tantillum ocii mihi relictum fuerit. R<sup>mum</sup> dominum cardinalem Polum Anglum reverentius amo quam ut temere salutare ausim.

Ex Eystat civitate quarto kalendas novembris 1543.

**78. Cochlaeus an Morone:** Empfehlung des Überbringers, des neuen Weihbischofs von Würzburg. Klage über Jodocus Hoefilter, der Cochlaeus um die ihm zugesuchten Pfründen und Pensionen gebracht. 1544 Dezember 25 Eichstätt.

Aus Arch. Vat. Arm. 62 vol. 38 fol. 92, eigenh. Orig.; als Adresse giebt Cochlaeus an: Romae aut ubicumque fuerit.

S. P. piget me quidem saepe in ventum literas dare, dum certior reddi non possum quoniam literae perveniant. scripsi aliquoties, sed post discessum R<sup>mæ</sup> D. T. e Tridento nunquam hactenus scire potui ubinam consistat nunc R<sup>m</sup>a D. T.; ideo non possum prolixè nunc scribere. quod si lator præsentium personaliter reddiderit has literas, rogo R<sup>m</sup>a D. T. habeat eum gratiose commendatum, saltem propter dominum Joannem Eckium, quo diu usus est non infoeliciter præceptore. vadit nunc Romam factus suffraganeus Herbipolensis mortuo Augusto Mario. cogitur autem confirmationem suam suo aere et sumptu redimere et expedire. si commode fieri queat, R<sup>m</sup>a D. T. et Deo et ecclesiae (cui is

1) Vgl. oben Nr. 42. 48. 63.

2) Contarini war im August 1542 gestorben.

3) Vgl. Nr. 78, wo auch der feindliche Kurtisan namhaft gemacht wird.

utilis esse poterit) rem gratam ac piam fecerit, dum bono aliquo verbo eum commendaverit, ut gratiose cum ipso agatur.

Si plura et de hoc latore et de meis studiis et laboribus atque etiam de molestiis, quibus me immerito vexat nunc dominus Jodocus Hotfilter ad omnes meas preces inexorabilis, [scire voluerit], poterit plenius intelligere a R<sup>mo</sup> domino cardinale s. Crucis, cui prolixe de his scripsi. eo indignius fero, quia ille mihi nunc altera vice graviter nocet absque commodo suo, nullo a me lassitus unquam verbo aut facto. gravissime enim nocuit mihi ante annos 8 [a]vertendo a me praeposituram s. Severini Coloniensem, ut antea scripsi<sup>1</sup>. scripsi igitur intruso, qui possidet nunc canoniciatum ecclesiae No[vi]monasterii Herbipolensis, nt cum illo componat<sup>2</sup>, quem mihi R<sup>mus</sup> sanctae memoriae cardinalis Contarenus Romae in optima forma (ut suis ad me literis ipse testatus est) ab ipso summo pontifice impetravit, quem frustra contulerat antea Ratisponae ex falsa mortis annunciatione deceptus, et suspicor adhuc eam deceptionem subornatam fuisse a curtisanis, qui invidebant nobis theologis gratiam legati. Hotfilter nomine meo rogatus Moguntiae a nepote meo respondit malle se omnia sua perdere quam hac in re cedere mihi; [ego] autem decies potius cederem quam cum eo litem inirem Romae<sup>3</sup>. et tradidit ei literas ex urbe missas a Jodoco Jenteno, qui se scribit cubicularium R. D. Mafaei<sup>4</sup>, ut transmitteret ad me: in iis autem ne syllaba est quidem specialiter de illo canoniciatu, sed loquitur generaliter de nescio qua pensione, cujus terminus fuerit in festos. Johannis Baptistae elapsus. ipse autem cum intruso nihil egerat, sed intrusus obtulerat mihi pensionem 25 flor., quam Hotfilter suis artibus nunc eripit mihi et vertit in alium et scit me de illa quoque pensione nihil habere quam R<sup>ma</sup> D. T. assignaverat primum Hagenoiae, deinde Wormacie super canoniciatu Moguntino. probe recordor verborum, quando dicebat ei R<sup>ma</sup> D. T. ut curaret mihi recte prospici de illa pensione in literis desuper conficiendis: ego nec literas nec obolum ullum recepi. si haec placeant R<sup>mae</sup> D. T., maxime fallor, sed impossibile mihi est credere hoc de summa et mihi perspectissima integritate R<sup>mae</sup> D. T.,

1) gravissime — scripsi am Rande nachgetragen ohne Verweisungszeichen.

2) ut — componat von Cochlaeus zwischen den Zeilen nachgetragen; ut nicht sicher zu lesen; vielleicht unde?

3) ego — Romae am Rande nachgetragen, so zwar, daß das erste Wort, ego, nicht mehr vorhanden ist; das Papier scheint am äußersten Rande eingerissen.

4) Bernardino Maffeo, Geheimsekretär Farneses, später (1549) Kardinal.

quam optime valere precor cum tota et quidem optime instituta familia sua.

Ex Eystet in ipso die sacratissimo natalis domini 1544.

**79. Cochlaeus an Cervini:** Cervini Konzilslegat. Wirken Luthers und der Seinen wider das Konzil. Streitigkeiten zwischen Lutheranern und Zwinglianern. Cochlaeus für den Bischof von Eichstätt zum Konzil bestimmt. Unwesen der westfälischen Kurtisanen. Litterarische Thätigkeit. Kardinal Madruzzo. 1545 April 26 Eichstätt.

Aus Florenz Arch. di Stato Carte Cervin. filza 40 fol. 66,  
eigenh. Orig.

S. scripsit ad me ex urbe Rev. D. d. Robertus administrator Armachanus R<sup>mam</sup> Dominationem Tuam destinatam esse a summo pontifice ad celebrandum concilium oecumenicum Tridenti, de cuius sane foelici progressu et dubitant apud nos multi et ego anxie sollicitus expecto. adversarii et latine et germanice prorumpunt in omne conviciorum et calumniarum genus, ut totam nationem germanicam avertant (quod Deus avertat) ab obedientia sedis apostolicae. Lutherius teuthonice 26 quaterniones nuper proca-  
cissime effutivit<sup>1</sup>, Bucerus latine suadet ut nationale, non gene-  
rale agatur concilium. clamitant omnes contra duas S<sup>mi</sup> Domini Nostri papae epistolas ad Caesaream Majestatem scriptas<sup>2</sup>; unde quaerunt argumenta ad concitanda adversus sedem apostolicam odia. stultissime sperant hujusmodi machinationibus opprimi et extingui posse sedem beati Petri, quae super petram fundata est. miseret me tot animarum, quae illorum scelere in aeternum pere-  
unt, et dolet mihi tantum licere apostatis in totius imperii con-  
fusione et patriae nostrae exitium! spero tamen si ex Hispaniis et Galliis advenerint aliquot episcopi et oratores, his malis salu-  
briter Deo propicio remedia efficacia opponi posse; nam recru-  
descit nunc inter Lutheranos et Zwingianos contentio, unde pru-  
dentiores facile poterunt conjicere nunquam fore apud nos in re-  
ligione pacem et concordiam nisi rejectis sectis redeamus ad anti-  
quam obedientiam. ita enim scripsit ad me nuper quidam egregie doctus: redit tempus, inquit, in quod competit illud ex sacris literis: in diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur faciebat<sup>3</sup>. certe nisi cohabeatur haec scribendi et pingendi atrox et scandalosa licentia, prorumpet

1) Wider das Papsttum zu Rom vom Teufel gestiftet.

(217)ff. 2) Vgl. v. Druffel, Karl V. und die römische Kurie I, S. 73

3) Richter 17 v. 6.

(vereor) hoc malum in majorem Germaniae cladem quam fuit clades illa ante annos 20, qua tot milia infoelicum perierunt rusticorum.

Deputavit me R<sup>mus</sup> dominus et patronus meus episcopus Ey-stetensis ad hoc concilium, si certo constiterit de ejus progressu<sup>1</sup>. hactenus certe scire non potuimus an ex Hispanis et Galliis ulli advenerint praelati et oratores, sine quorum praesencia non putamus generalis concilii progressum fore. quare suppliciter rogo si quid certi habeat R<sup>ma</sup> D. T., dignetur brevissimo epistolio nos certiores facere. id facile poterit fieri, si mittatur illud Augustam vel ad d. Antonium Fuggerum vel ad Antonium de Taxis magistrum postarum seu veredorum.

Conquestus fui jam pridem R<sup>mae</sup> D. T., tanquam gratiosissimo ac selectissimo patrono meo, de quodam curtisano Westphalo quid fecerit mihi. nullum prorsus recepi responsum. ille autem augetur interim aliis adhuc sacerdotiis Leodii, tanquam parum scandali odiique excitaverit prius per innumera per omnem fere Germaniam sacerdotia, quorum venatione ita notus est ut in platis digitis demostretur. si ita placet sedi apostolicae, placeat et mihi. mitto R<sup>mae</sup> D. T. indicem eorum quae Ingolstadii evulgavi<sup>2</sup> et ex libellis minimum. caeteri per postam commode mitti non possunt. pietatis ac gratiae tuae fuerit benigne et clementer ex iis consyderare fidem et diligentiam meam. quantum vero sit onus impensarum non solum in typographiae sumptibus, sed etiam in transmittendis hincinde ad diversas provincias pro consolatione et confortatione Catholicorum literis ac libellis, facile conjicere poterit per sese R<sup>ma</sup> D. T., quam optime valere precor atque ut

1) Vgl. Nuntiaturberichte aus Deutschland, Abtl. I, Bd. VIII, nr. 39. Hernach wurde als Prokurator der Bischöfe von Eichstädt und Würzburg Johann Armproster canonicus s. Johannis in Haugis zum Konzil gesandt. Das eichstädtische Prokurationsmandat vom 22. August erwähnt Massarelli im Cod. Barberin. XVI, 27; die Mandate, die Armproster am 2. September in Trient den Konzilslegaten überreichte, nannten neben anderen aber auch Cochlaeus als Prokurator: Arch. Vat. Arm. 62, vol. 91, fol. 32<sup>a</sup>; vgl. Massarelli bei Döllinger S. 112 bis 114 und v. Druffel, Mon. Trid., p. 183, 2. — Übrigens teilte unter dem 12. Juni auch K. Ferdinand dem Cochlaeus (der ihm am 30. Mai geschrieben hatte: zerfetzte Abschrift Florenz Carte Cervin, filza 40, fol. 70) mit: ut te inter commissarios, legatos et mandatarios nostros ad praesens generale concilium Tridenti indictum jam dudum destinatos, te unum nominatim et peculiariter eligendum et deputandum duxerimus. Sobald er erfahre, das das Konzil den erhofften Fortgang nehme, wird er es dem Cochlaeus melden lassen, der inzwischen seine Vorkehrungen treffen möge; seine Auslagen werde der König ihm ersetzen: Abschrift ebendas. fol. 73.

2) Liegt nicht bei.

R<sup>mo</sup> et Ill<sup>mo</sup> domino cardinali Farnesio parvitatem meam commendet unice oro.

Ex Eystet civitate die 26 aprilis 1545.

Bittet um Empfehlung an die Kardinäle Morone und Trident<sup>1</sup>: is enim ante annos quinque gratiosissime obtulit ultro honestam pensionem Tridenti procurandam mihi, cum esset Hagenoiae; sed non audebam deesse patriae sic in religione perturbatae, propter quam et Vratislaviae pinguiora reliqui sacerdotia. Giebt seiner Verehrung auch für die Kardinäle Sadolet und Bembo Ausdruck<sup>2</sup>.

**80. Cervino an Cochlæus:** Besorgnisse wegen des Religionsgesprächs [1545 September 6 Trident]<sup>3</sup>.

Aus Florenz Carte Cerviniane filza 40 zwischen foll. 214 und 215, Konzept ohne Datierung.

Accipio excusationes tuas quod te isthinc nondum moveris<sup>4</sup>. vellem et illud aequa probare posse quod de colloquio scribis, de quo equidem cum Rossanensi<sup>5</sup> non sentio, sed contra valde solicitus sum. nam praeter id quod tempus teritur et quod concilium impeditur ad tempus saltem, ei libertas adimitur, quod ipsum pro sese est indignissimum. accedit etiam illud incommodi ut quem tandem finem res sit habitura, non plane videam. itaque Deum quidem quae facta sunt bene fortunare et oro et opto; verum e republica ea esse mihi nondum persuadere possum. sed de his satis forsitan superque. quid autem tu nunc agis et quid moliaris, velim certiore me reddas. vale.

**81. Cochlæus an Cervino:** Schlechte Nachrichten von Cervino. Vereitelte Hoffnung nach Trident zu gehen. Polemik gegen Bucer. Neueste Schriften. Das Religionsgespräch. Veranstaltung von Neubearbeitungen; Plan einer Gesamtausgabe seiner Schriften. Knappheit seiner Mittel. Unwesen der Kur-

1) Christoforo Madruzzo, Bischof 1539—1567, Kardinal 1544.

2) Am 30. April schrieb Cochlæus bereits aufs neue an Cervini, gedruckt v. Druffel, Mon. Trid. nr. 73 (aus dem nämlichen Fascikel).

3) Die Datierung erhellt aus Nr. 81.

4) Vgl. das Schreiben des Cochlæus an Cervino vom 23. August, worauf obiges Antwort ist, bei v. Druffel, Kaiser Karl V. und die römische Kurie, Abtl. III, S. 83 f. (263), nr. 11. — Ein voraufgehendes Schreiben des Cochlæus an denselben vom 28. Juli gedr. v. Druffel, Mon. Trid., nr. 167.

5) Girolamo Verallo, damals Nuntius beim Kaiser (vgl. Nuntiaturberichte, Abtl. I, Bd. VIII).

tisanen und Pfründenjäger; Vernachlässigung des Cochlaeus.  
1545 September 24 Eichstätt.

Aus Florenz Carte Cerviniane filza 40 fol. 80. 81, eigenh. Orig.; ebendas. fol. 82. 83 ein Duplikat von Schreiberhand mit dem Vermerk des Cochlaeus: Has easdem literas misi heri per postam Augustam; quae si perierint, ex hac copia intelligi poterunt.

S. quantum moeroris attulerint mihi novissimae e Tridento datae ad me literae R<sup>mae</sup> D. Tuae die 6 septembris, quas tempestive 16 die ejusdem mensis accepi, explicare non possim, quamquam moeroris complures causas literae tuae eleganti brevitatis compendio complexae sunt! bone Deus quo labitur mundus? anxie autem vereor ne R. D. Rossanensis sua sit opinione deceptus. tuis enim rationibus reverenter cedo et nimis dolenter nimium veras esse puto, anxieque timeo ne rerum exitus ostendat Deum nondum esse nobis bene placatum! neque tamen de ejus misericordia despero nec de adamantinis (ut sic dicam) Christi promissis dubito, nempe quod portae inferni adversus petram non praevalebunt.

Jubet R<sup>ma</sup> D. T. ut scribam sibi quid nunc agam aut moliar. ago equidem in moerore multo, quod tanto tempore frustra expectaverim desyderaverimque venire ad concilium. fuit enim ea res mihi molesta tamdiu semper in incerto suspendi et ad iter longamque absentiam toties res librosque frustra disponere, et praecidi mihi nunc totam spem veniendi ad concilium, quod non sine magno multoque rubore meo tam apud amicos quam apud inimicos fieri certum est. nam et in literis quas ad principes astatus Romani imperii Wormaciā misi<sup>1</sup>, scripseram me a R<sup>mo</sup> domino meo Eystetensi deputatum esse ad concilium, idque data opera faciebam ut eis certiorem de concilio spem facerem, ne forte per Buceri suasiones cogitarent de nationali aliquo conciliaculo. Bucerus autem nactus illius epistolae meae copiam adversus eam bene magnum jam evulgavit librum<sup>2</sup> 20 quaterniones continentem, et sub finem ipsam quoque epistolam meam cum scholiis scurrilibus in margine appositis adjunxit.

Quid autem moliar, ego nunc adjicio. Ingolstadii excuditur mihi nunc opus vetustum Petri abbatis quandam Cluniacensis, qui summus fuit amicus s. Bernardi: in eo multa reprehenduntur dogmata haereticorum sui temporis, quae et nunc resuscitarunt ex cineribus haeretici nostri. adjunxi igitur quosdam s. Bernardi ser-

1) Vgl. Mon. Trid., p. 111, n. 2.

2) Bucerus, De concilio . . . criminum quae in M. Bucerum Jo. Cochlaeus . . . perscripsit, confutatio. In Straßburg August 1545 ausgegeben.

mones et epistolas eisdem de rebus, unde lector cognoscat haec barbara et erronea nostrorum haereticorum dogmata jamdum ante 400 annos docte reprobata et publice damnata fuisse. et Moguntiae excluditur mihi ab affine meo novo typographo libellus quidam latinus a me nuper factus, quem ante annos 8 teuthonice edideram de autoritate et potestate generalis concilii contra 30 propositiones Lutheri, quas eo tempore evulgaverat<sup>1</sup>. de colloquio<sup>2</sup> autem vehementer sollicitus sum, ne forte meam quoque parvitatem ad illud deputet Caesarea Majestas. intendo enim serio potius agere adversus Bucerum et quosdam alias Ratisponae in comitiis, ut accusem eos publice et de haeresibus in doctrina et de criminibus in vita. putat enim Bucerus de iisce me nihil adversus ipsum audere coram.

Non levis insuper tenet me cura redigendi libellos meos in unum aut alterum volumen, in certas classes aut tomos distribuendos, tum quia id a me petant plerique etiam in Germania, tum quia antea neglectim excusi et maliciose suppressi ad exteriores nationes raro et in perpaucō numero venerunt. qualiter vero eos ordinari velim, ex adjuncto registro poterit R<sup>ma</sup> D. T. liquido cognoscere<sup>3</sup>. arbitor equidem (absit jactantia verbis) per paucos hodie superstites esse qui aut diutius aut crebrius contra has novas sectas dimicaverint scriptis tum latinis tum teuthonicis, quam ego per Dei gratiam feci. restat autem non modicus adhuc labor ad opus juxta intentionem meam perficiendum. oportebit enim me et teuthonicos in latinum vertere et latine scriptos recognoscere et in quibusdam vel addendo vel adimendo meliores reddere. erit id sane aetati meae multis incommodis fractae et imbecilli perdifficile, nec est qui adjuvaret neque leve futurum est onus impensarum, quod certe typographorum in Germania nullus in sese suscipiet, nisi me in expensis habeat socium, qualem me habuit hoc biennio typographus Ingolstatiensis, sed parum aequa lege. semper enim a me pecunias recepit et obulum nullum reddidit, quum tamen super 330 florenos a me receperit. sed haec nihil curat curtisanus ille, qui solis citationum minis eripuit mihi superbe pensiunculam 25 florenorum, quam R<sup>mi</sup> domini cardinalis Contareni sanctae memoriae beneficio ex quodam canonicatu Heribpoli obtinueram; de quo sane etsi multis magnisque conquestus sum, nemo tamen videtur corde perceperisse praeter unum R<sup>mum</sup> dominum Rossanensem, qui ea de re cum illo egit. is quidem ei promisit reddere mihi eam pensionem, sed nil nisi verba dedit.

1) S. Widmann S. 77, Nr. 1.

2) Das im Wormser Reichsabschied vom 4. August nach Regensburg angesetzte Religionsgespräch.

3) Die Beilage fehlt (vgl. Mon. Trid., p. 111, n. 1).

tam superbe enim egit ut mihi neque scribere neque de jure suo quicquam dicere aut ostendere dignatus sit, sed proterve dixit nepoti meo Moguntiae, cum pro me deprecaretur, malle se omnia sua perdere quam eam pensionem relinquere mihi. id ego premii pro laboribus 25 annorum ab illo praedivite curtisano, qui omnia sua ab ecclesia et sede apostolica habet, recepi et nullum in urbe membrum ecclesiae compatitur mihi. fecit et aliam contra me fraudem ante annos 10 cum damno meo decies graviore. quis arguit eum de peccato illo? bone Deus, quanta in illum beneficia contulit sedes apostolica et in plerosque alios, qui opimas habent praelaturas et pensiones, e quibus nihil prorsus conferunt ad defendendam religionis causam, et conferuntur adhuc quotidie in tales qui scandalizant infirmos et odia excitata magis adhuc aggravant. et solus Cochlaeus, qui sua beneficia pinguiora Vratislaviae (quae a sede apostolica non recepit) propter ecclesiae causam relinquit et nescit quamdiu in Germania permanere queat, non nisi unica ex pensione praepositurae Herbipolensis portione (quam certe a R<sup>mae</sup> D. T. alumno foelicissimo R<sup>mo</sup> et Ill<sup>mo</sup> domino cardinali Farnesio cum perpetua ad Deum memoria et gratiarum actione acceptam refero) dignus habetur. certe si ociari velim Vratislaviae, abunde satis haberem unde quietissime vivere possem. sed absit ut privata commoda preeferam religioni et autoritati ecclesiae sedisque apostolicae!

Haec scribo, R<sup>me</sup> domine, ut ad onus omnium opusculorum imprimentorum, per quae apud exterias quoque nationes causam ecclesiae commendare et haereticorum vesanam impietatem confutare ac detegere satago, alia ratione acquiram quam ex bursa aut fisco sedis apostolicae aut cardinalis Farnesii subsidium. facilius enim poterit mihi aliquid pensionis reservari super aliqua praepositura (quantae enim sunt per omnem Germaniam, maxime in tractu Rheni et in partibus inferioribus praepositurae, quarum collatio ad sedem apostolicam spectat!) quam ex fisco (cujus onera per sese sunt in reipublicae necessitatibus gravissima) numerare mihi. et de tali pensione non fieret multus clamor, quoniam non dicerer praepositus, haberem tamen ex praepositura (de cajus titulo et honore alius gauderet) aliquid subsidii, unde alibi viverem, si hic propter scripta evulganda commode manere non possem. credo enim necessarium fore ut ego ipse adsim ad manum circa typographum, quando omnia opuscula edi debeant. sive autem progressum habiturum sit concilium (ut opto maxime) sive impediatur diutius, utile fore spero ut aliae nationes latine intelligant quam iniuste et inepte oppugnant ecclesiam istae sectae. nam et in Italia dicunt non omnia in fide esse pura et integra . . . non licet mihi aperte scribere omnia impedimenta et cunctas molestias quae me in laboribus meis gravant: intelli-

genti autem satis et plus quam satis dictum est. fecit me prolixiorum singularis de pietate et integritate R<sup>me</sup> D. T. confidentialia. bene valeat Amplitudo Tua, colendissime patronae.

Ex Eystet die 24 septembbris 1545.

R<sup>me</sup> patrone <sup>1</sup>. profecto non gratis et absque causa tam vehementer insto pro aliqua pensione tum ad futuros adversae fortunae eventus, tum propter magnos sumptus, quos requiret omnium opusculorum renovata editio. habeo et alias causas, quas referre modo non expedit neque literis committere tutum est <sup>2</sup>.

(Fortsetzung folgt im nächsten Heft.)

#### 4.

## Zur Verlobung Caspar Peucers mit Magdalene Melanthon.

Urkundliche Mitteilung

von

Geh. San.-Rat Dr. Köster in Naumburg a. S.

Im Stadtarchiv zu Naumburg a. Saale wurde von mir nachstehende, bisher nicht bekannte Originalurkunde, die den Schwiegersohn Philipp Melanthons, den Caspar Peucer senior angeht und eine Episode aus dessen Leben ans Licht bringt, aufgefunden. Sie ist jedenfalls mit einem Nachkommen Peucers, dem Magister Daniel P., nach Naumburg gekommen, der hier von 1732—1742 Rektor der Stadtschule war. Zugleich mag auch noch bekannt gegeben werden, daß Caspar Peucer d. d. Augsburg d. 10. Mai 1566 von Kaiser Maximilian in den Adelstand erhoben wurde unter Verleihung eines Wappens. Abschrift des Wappen- und Adelsbriefes befindet sich in der Milichschen Bibliothek zu Görbitz, cod. 165.

Die gefundene Urkunde lautet:

Wir die vorordente Commissarien des Consistorii / zu Wittem-

1) Das Folgende findet sich nur im Duplikat, als eigenhändige Nachschrift.

2) Am 31. Oktober schrieb Cochlaeus nochmals ausführlich an Cervino, wesentlich über die nämlichen Gegenstände: v. Druffel, Mon. Trid., nr. 225.